



Leop.

3

IO. ERNESTI FLOERCKII,
I. U. D.

PRÆNOTIONES
IVRISPRVIDENTIAE
ECCLESIASTICÆ



I E N A E,

Apud IOANNEM FELICEM BIELCKIVM,
M DCC XXIV.

ERNESTI FROEGELI
LIBRARIUS
PRÆMOTORIS
URSUS ANDINI
ÆGOCRASPICUS



*PERILLVSTRI, GENEROSISSIMO AT-
QVE EXCELLENTISSIMO DOMINO,*

**DOMINO
FRIDERICO GOTTHILE
MARSCHAL,
DICTO GREIF,**

*EX NOBILIVM IMMEDIATORVM
FRANCONIAE ORDINE, TOPARCHÆ IN
OSMANSTEDT, EINGED ET
ERLEBACH,*

**SERENISSIMORVM DVCVM
SAXO - VINARIENSIVM MINI-
STRO STATVS INTIMO ET PRIMARIO,
SERENISSIMI DVCIS RE-
GENTIS**

*SUPREMO AVLAE MARESCHALLO ET ASSES-
SORI CVRIAEC PROVINCIALIS SAXONICAE
DOMINO SVO AC PATRONO
GRATIOSO*

PERENNEM A DEO FELICITATEM!

Perillustris, Generosissi-
me atque Excellentissime Domine,
Domine Gratiose,

Qui magnis viris & Mœ-
cenatibus, PERILLU-
STRIS DOMINE, li-
bros dedicare consecrare-
que intendunt, præprimis solliciti
esse solent de conquirendis causis &
rationibus, quibus temeritatem
suam excusare possint. Mihi vero
non necessè est, causas longe lateque
quærere, cum illas habeam in prom-
tu. Primum enim singulare TVVM
erga literas earumque cultores studi-
um, eximiumque TVVM de iis sen-
tiendi iudicium, me ad hoc indu-
xit, ut has pagellas, nulla sane
eruditione refertas, TVÆ censure,
ea, qua decet, animi submissione
subiiciam, vt siquid in iis erratum
sit, in secundis curis emendare li-
ceat.

ceat. Deinde singularis Tua benevolentia & humanitas, qua me complexus es, mihi persuasit, TIBI non ingratum fore, ut per inscriptionem alicuius speciminis Academicus testimonium qualecunque mea erga TE reverentie cultusque TIBI exhibeam. Denique maxima TVA cura providentiaque, quam in adaugendo splendore & incremento huius Academia geris, me plane impulit, ut TIBI, de vita mea genere, quod hactenus per aliquot annos studiosae iuuentuti varias iurisprudentiae partes prælegendo, exercui, rationes debitas redderem: quod exhibitione huius leuis opusculi, aliquo modo præstare volui.

Accipe ergo, PERILLVSTRIS DOMINE, benigna fronte hoc exiguum munuscum in devoti & obsequiosi animi tesseram, & tanquam rudimentum maioris inde exstruendi operis. Quod reliquum est, sumnum Numen perpetuis efflagito pre-

cibus, velit TE, cum Perillustri TVA
familia, semper saluum & incolu-
mem ad seros usque annos conserva-
re, prudentissima & saluberrima
TVA consilia dirigere & beare, ut in
serenissimæ Domus Saxo - Vina-
riensis gratiosissimam approbatio-
nem, totiusque reipublicæ, nec non
huius Academiae utilitatem & incre-
mentum vergant.

Denique totum me meaque studia
TIBI committo, deuotissime petens,
ut TVA gratia patrocinioque, quo
me hactenus prosequi non digna-
tus es, imposterum erga me continua-
re velis. Summam semper reve-
rentiam cultumque TIBI spondeo

Tui Perillustris Nominis

cultor obsequiosissimus
Jo. Ernestus Flöercke, D.
P.R.E.

PRAEFATIO.

PRÆFATIÖ.

POstquam haec tenus per aliquot annos
divina gratia studiosæ iuuentuti in-
ter alias Iuris partes Ius quoque Ec-
clesiasticum prælegi, & fundamenti
loco mearum recitationum 10.
SCHILTERI ICti eximii *institutionibus iuris ca-*
nonici, quæ tam propter concinnam metho-
dum, quam materiarum selectum aliis eius ge-
neris compendiis præferendæ sunt, usus sim;
Desiderauit in hoc autore inter alia, quod nimis
pauca eaque satis obscura de prudētia iuris ec-
clesiastici in genere p̄miserit. Sicut vero in
omnibus disciplinis tractandis utile, imo nece-
ssarium est, accuratam notitiam de natura, prin-
cipiis & subsidiis illius scientiæ habere, quam
quis addiscere vult: siquidem his generaliter
cognitis multo facilius ad materias ipsas pro-
gressus fieri potest; ita quoque in iurispruden-
tia ecclesiastica tradenda omnino requiritur, ut
antequam de singulis materiis iuris ecclesiasti-
ci in specie agatur, de ista prudentia in genere,
eius vera indole, fontibus & adminiculis dispe-
ratur. Et quoniam Doctores communiter
qui ius ecclesiasticum per modum sive com-
pendii sive systematis tam inter Pontificios,
quam Protestantes scriperunt, talia præcogni-
ta, vel plane non, vel admodum parce tratta-
runt: sed statim ad ipsa rerum ecclesiastica-
rum argumenta processerunt; Omnino neces-.

PRAEFATIO.

sarium esse duxi, auditoribus meis in explicando iure ecclesiastico de prudentia iuris ecclesiastica in genere prægustum dare, & quasdam theses ea de causa, quas discursibus uberioris illustravi, in calamum ipsis dictare, ut his præmissis leviore via singula iuris ecclesiastici capita intelligi potuerint. Quum vero nonnulli a me petierunt, ut has dictatas theses publice ederem; nolui horum desiderio deesse, in primis cum obseruarim, multos errores in iis describendis irreperisse. Has igitur magis politas longeque aetas, quam in collegio eas proposui, in præsentiarum sisto. Institutum meum in eo consistit, quod primum de iurisprudentiæ ecclesiasticæ existentia & necessitate; deinde de eius definitione, tam verbali, scilicet synonymia, & homonymia, quam reali: postea de illius divisione, subiecto, obiecto, fine: porro de eius principiis seu fontibus, subsidiis & differentiis a reliquis disciplinis: denique de istius præcipuis scriptoribus, nec non de methodo eam tractandi succincte & perspicue differuerim. Videlicet plurimum propriis meditationibus usus sum, nonnunquam aliorum quoque rationibus adiutus. Quum autem ius principum circa sacra præcipuum fundamentum iuris ecclesiastici sit, ex quo omnes leges ecclesiasticæ derivandæ sunt, & quod circa omnes & singulas materias iuris ecclesiastici sese exserit, necessarium esse putavi, aliquid etiam in his prænotioribus

PRAEFATIO.

nibus de eo attingere. Et quia variae de isto iure, tam Theologorum, quam ICtorum opiniones sunt, & alii in excessum, alii in defectum inclinant, meam de eo sententiam breviter, sed satis distincte exposui, secundum quam omnes controversiae etiam maximi momenti hac de re occurrentes facile decidi possunt. Quod autem nonnunquam a sententiis communiter receptis secessum fecerint, hoc mihi nemo vitio vertet, cum id non sine ratione factum sit. Si vero aliqua in re forsitan lapsus fuerim, eo facilius veniam me impetraturum spero, cum primus talia præcognita scribere aggressus sim, nullumque hac in re ducem, quantum ego novi, habuerim. Evidenter scripsit iam IO. DOV-
LATIVS, Gallus doctissimus, *Prænotionum ca-
nonicarum libros quinque*, Parisiis 1687. 4. edi-
tos, ut perspexi ex *Actorum Eruditor. Lipsiensium
supplement. Tom. I. p. 20.* sed ob raritatem hu-
ijs libri, illum inspicere haec tenus mihi non li-
cuit, licet summa animi anxietate eius copiam
adipiscendi quæsiverim. Accepi tamen
CHRIST. GODEFRIDVM HOFFMANNVM, ICtum
antea Lipsiensem, iam vero Viadrinum celebre-
rimum, huius libri editionem cum notis adie-
cis iterum parare: Interim meum laborem
propterea nolui differre, nec spero eum inuti-
lem vel superfluum futurum esse, cum hic DOV-
LATIVS agat saltem de præcognitis iuris ec-
clesiastici iuxta statum Pontificiorum, ego ve-
to ea exposui secundum statum Protestantium.

Scri-

PRAEFATIO.

Scripsit quoque Ill. CHR. THOMASIVS *cautelas*
irca precognita Iurisprudentie ecclesiastice, sed
paqua saltē de iurisprudentia in genere ha-
bet, totus enim occupatus est in exponendis
cautelis circa historiam ecclesiasticam, easque
per singula secula deducit, post hæc de origine,
progressu iuris canonici, eiusque autoritate &
vſu apud Protestantēs, nec non de vtilitate &
neglectu huius studii tractat, & de his omnibus
tam eruditē, quam ingeniosē summoque cum
iudicio differit. Ex his facile patet, illius tra-
stationem a meo instituto omnino differre, me-
que non adūm egisse. Interim tamen velim,
vt illi, qui studium iuris ecclesiastici inchoaturi
sunt, dietas cautelas cum nostris prænotionibus
coniungent, quia tunc certi esse possunt, quod
faciliori labore meliorique successu ad solidam
iurisprudentiam ecclesiasticam comparandam
sint peruenturi. Quod reliquum est nihil glo-
riæ, nihilque præmii ex hoc quantulocunque
labore desidero, id solum vnicē exēpto, vt ali-
quid vtilitatis & commodi studiosæ inuentuti,
cui me hac tenus consecravi, inde redundet quo
ipso commovebor *observationes selectas iuris ec-
clesiastici*, quæ tam ad illustrandum, quam emen-
dandum SCHILTERVM faciunt, in vſum audi-
torum meorum quam primum in lucem dare.
Interim vale & nostris laboribus fave, siisque, si
placet, utere,

SPM-

SUMMARIA.

SUMMARIA.

- §. I. *Vrisprudentia ecclesiastica existentia & necessitas.*
- §. II. *Synonymia, dicitur canonica, ecclesiastica, sacra & consistorialis.*
- §. III. *Homonymia, sumitur vel systematico vel habitualiter.*
- §. IV. *Definitio realis.*
- §. V. *Divisio in uniuersalem & particularem & prioris descriptio.*
- §. VI. *Particularis iterum varia.*
- §. VII. *Divisio in publicam & priuatam.*
- §. VIII. *Subiectum quod est homo, qui inde dicitur Canonista: Primario quidem studium iuris canonici pertinet ad ICos, idem tamen studium & studiois Theologia necessarium & utile est.*
- §. IX. *Subiectum quo est intellectus.*
- §. X. *Obiectum totale est ecclesia, & quidem visibilis.*
- §. XI. *Hac consideratur vel in membris suis, & dividitur in doctores & auditores.*
- §. XII. *Vel in respectu ad rem publ. ubi considerandum est ius circa sacra, de quo varie sunt opiniones: Nostra de eo sententia.*
- §. XIII. *Obiectum particolare sunt negotia ecclesiastica.*
- §. XIV. *Finis proximus est applicatio iuris ecclesiastici.*
- §. XV. *Finis remotus est salus reipublica & ecclesie, & quidem non interna, sed externa.*

§. XVI.

SUMMARIA.

- §. XVI. Principia huins iuris prudentie sunt leges ecclesiasticae, earum definitio.
- §. XVII. Divisio legum ecclesiasticarum in divinas & humanas.
- §. XVIII. In scriptas & non scriptas.
- §. XIX. In generales & speciales.
- §. XX. Ad leges ecclesiasticas generales referuntur
(1) Concilia, vbi de eorum obligatione respectu Protestantium, nec non de eorum collectionibus variis.
- §. XXI. (2) Ius Iustinianum quatenus de sacris aliquid disponit.
- §. XXII. (3) Ius canonicum, vbi de eius partibus & autoritate apud Protestantes.
- §. XXIII. (4) Leges imperii ecclesiasticae, scilicet transactio Passauensis, Pax Religiosa & Osnabrugensis.
- §. XXIV. Speciales leges ecclesiasticae sunt ordinaciones ecclesiasticae.
- §. XXV. Subsidia iuris prudentiae ecclesiasticae sunt
(1) iuris prudentia naturalis & civilis.
- §. XXVI. (2) Theologia, historia & notitia antiquitatum ecclesiasticarum.
- §. XXVII. (3) Prudentia politica ecclesiastica.
- §. XXVIII. Differentia Iuris prudentiae ecclesiastice ab aliis Iuris prudentiae speciebus.
- §. XXIX. Eius differentia a Theologia.
- §. XXX. Scriptores Iuris prudentiae ecclesiasticae in duas classes dividuntur.
- §. XXXI. Methodus tractandi Iurisprud. ecclesiast.

PRÆ-



PRAENOTIONES IVRISPRUDENTIAE ECCLESIASTICÆ.

§. I.

 Ntequam de natura Iuris- *Iurispr.*
prudentiæ ecclesiasticæ a- *eccles. exi-*
gimus, prætruendum est, *stentia &*
Iurisprudentiam ecclesia- *necessitas.*
sticam dari, eamque neces-
sariam esse.

Nulla gens est tam barbara, quæ non numen
aliquid colat : nullaque respublica sine
omni religione & cultu diuino diu conser-
vari & beata esse potest : nam metu dei
excusso omne vinculum societatis ciuilis,
quod inter imperantem & parentes est, pla-
ne tollitur, & subditæ non diutius parebunt,
nisi quam diu ipsis sua interesse visum fuerit,
hoc vero cessante omnem subjectionem re-
spuent. E contra illa demum respublica flo-
ret, finemque suum naturalem consequitur,
cujus ciues ex vinculo quodam interno, ad

A

vir-

virtutum legumue feruntur obsequia. E-
quidem PETR. BAELIVS *dans la continuation
des pensées diverses §. 118 p. 568 & dans la re-
ponse aux questions d'un Provincial. to. 4. c. 17.
p. 232. seqq.* defendit, rempubl. sine villa reli-
gione subsistere posse; Sed eum solide refu-
tavit Vir summe reuerendus IO. FRANCISC.
BVDEVS de Atheismo & superstitione. c. 4. §. 5.
p. 349. Hanc quoque sententiam bonis ar-
gumentis confirmauit MASIVS in *interesse
principum circa religionem euangelicam*. Cum
autem supremi imperantis cura ad omnia il-
la se extendere debeat, sine quibus beatitu-
do ciuilis & salus reip. obtineri ac subsistere
nequit; eidem quoque cura circa subdito-
rum religionem & rerum sacrarum obserua-
tionem competit. Sicut enim verus religio-
nis usus ciuili imperio multa commoda af-
fert, & ad tranquillitatem publicam prodest,
siquidem subditi secundum præcepta reli-
gionis, etiam naturalis, omnium vero maxi-
me christianæ, ad obsequium & quietis pu-
blicæ conservationem omnino adstringun-
tur; Ita quoque peruersus illius usus socie-
tati ciuili multum obesse potest, cum præ-
textu religionis variæ turbæ in republica
committi queant. Ne igitur per religio-
nis abusum reipublicæ quoddam damnum
inferatur, summis imperantibus ius quod-
dam circa eam competit, quod in specie di-
citur *ius sacrorum seu circa sacra*: quum
enim

enim princeps in omne id, quod in republi-
ca est, imperium exerceat; idem quoque *iuris*
circa sacra, quæ in illa habentur, ipsi tribuen-
dum est, quod consistit in prouidendo, ne
aliquid inordinate & contra quietem publi-
cam in iis peragatur. Ad hoc *iuris sacrorum*
recte exercendum, necesse est, ut summus
imperans leges quasdam subditis præscribat,
secundum quas illi actiones in rebus sacris
instituant, ut sint iustitiae & saluti publicæ
conformes, quæ *leges in specie ecclesiastica* di-
cuntur. Ha leges cum saltem sint genera-
les regulæ, & impossibile sit, omnes omnia
casus in sacris occurrentes exprimere; ideo
opus est quadam prudentia, qua non solum
hæ leges recte intelligantur, sed & ad actio-
nes hominum sapienter applicentur, & ad
casus in legibus non speciatim expressos iu-
sta interpretatione producantur, vt hoc mo-
do iustitia & salus publica promoueat:
quæ ipsa prudentia est nostra *iurisprudentia*
ecclesiastica. Ex quibus dictis satis patet, da-
ri *iurisprudentiam ecclesiasticam* eamque ne-
cessariam esse, quod & experientia satis com-
probatur.

§. II.

Hæc iurisprudentia dicitur *canonica*,
ecclesiastica, *sacra*, *consistorialis*: quia ver-
satur circa canones, & tractat res ecclesia-
sticas, sacras, consistoriales.

A 2

CANON

Synony-
mia,

CANONICA dicitur a voce *canone*, cuius variae sunt significations, de quibus vid. GERH. van MASTRICHT *bif. iur. canon. n. 5 seqq.* *Ca-*
nōn hic denotat regulam seu normam actionum ecclesiasticarum. Astutia erat, quod episcopi & pontifices romani decreta sua non leges, sed saltem canones initio nominarent, quasi non legislatores, sed saltem doctores agerent, cum ipsi reuera potestatem legislatoriam principibus in rebus ecclesiasticis eripuerunt. Ast postea maxime a tempore Gregorii VII alias Hildebrandi nomen *canonis* in desuetudinem abiit, & nomen *iuris* fastu & ximulatione romani pontificis successit, & ad differentiam *civilis*, nomen substantivum in adiectivum *canonici* mutatum est. Vocatur quoque iurisprudentia *SACRA*, item *ECCLESIASTICA*, quia versatur circa res ecclesiasticas & sacras. Evidem secundum principia iuris canonici apud Protestantes quoque recepta, distinctio est inter res *sacras* & *ecclesiasticas*: illæ dicuntur, quæ immediate cultui diuino inseruntur v.g. templæ, altaria, calices &c.; hæ autem, quæ mediate ad cultum diuinum faciunt, scilicet ad alendos clericos & reparanda templæ; sed hic res *sacrae* & *ecclesiastice* promiscue sumuntur, & denotant omnia negotia in ecclesia occurrentia, quatenus legibus sunt subiecta.

CONSISTORIALIS appellatur a iudicio, ubi
cau-

IURISPRUDENTIAE ECCLESIASTICAE 5

causæ ecclesiastica tractantur & deciduntur, quod vulgo dicitur *consistorium*: quod licet in genere denotet locum, in quo consistunt homines; in specie tamen significat loca principum, in quibus de causis tam politicis, quam ecclesiasticis, adhibitis consiliariis deliberatur vid. tit. C. de *comitibus consistorianis lib. XII.* & specialissime iudicia ecclesiastica conf. CAROL. DV. FRESNE *glossar.* voc. *Consistorium.*

§. III.

Iurisprudentia ecclesiastica duplíciter *Homony* sumitur, vel *systematice*, & sic denotat sy- *mia*. stema, seu complexum, qui leges ecclesiasticas iuxta præcepta artis breuiter & methodice slistit & exhibet, ut exinde cognitio iuris acquiratur: vel *habitualiter*, & denotat habitum practicum.

Sicut hæc duplex significatio iurisprudentiæ in omnibus eius speciebus occurrit; ita eadem quoque ad iurisprudentiam ecclesiasticam applicari debet: addi quidem adhuc possit *tertia* significatio iurisprudentiæ ecclesiasticæ, quod illa etiam sumatur pro cognitione iuris ecclesiastici; sed cum omnis habitus præsupponat cognitionem, & ex accurate cognitione sedulaque eiusdem repetitione, nec non præctica illius applicatione habitus iurisprudentiæ fluat, hac distinctione hic facile carere possumus, in primis cum

vtrumque & cognitio & habitus iuris ecclesiastici tam ratione subiecti, quam obiecti & finis conueniant.

§. IV.

Iurisprudentia ecclesiastica habitualiter
Definitio realis. sumta definiri potest, quod sit prudentia non solum leges ecclesiasticas ferendi, interpretandi & intelligendi ; sed & actiones tam proprias, quam aliorum hominum in societate ecclesiastica obuenientes iuxta eas dirigendi & diiudicandi, ut suum cuique etiam in causis ecclesiasticis tribuat, indeque salus ecclesiae & reipublicae promoueat.

Prudentia ciuilis est duplex, altera quæ utilitatem, altera quæ iustitiam respicit : illa dicitur *politica*, hæc *iuridica*. Licet quidem hæ prudentie species ita a se differant ; recte tamen coniungendæ sunt, ut infra §. XXVII. demonstrabitur. Sicut autem prudentia politica diuiditur in *architeconicam*, quæ versatur circa rem publicam formandam & legibus utiliter instruendam : & *consultationem*, quæ docet rem publicam iam formatam & legibus instructam utiliter administrare; ita quoque prudentia *iuris*, alia est *legislatoria*, quæ occupata est circa leges secundum iustitiam ferendas, vel etiam circa leges iam latas vel receptas secundum aequitatem emendandas : alia *iudicaria*, quæ docet leges

ges latas *iusta* interpretatione ad facta obvenientia applicare. Vtraque in Academiis docenda, & a doctore in explicatione iuris coniungenda est. Nam et si ICto in foro, sive iudicis siue aduocati vice fungitur, non licet de *legibus* iudicium ferre, sed *iuxta leges*, licet sint durae & iniquae, iudicare eum oportet; attamen in scholis libertas *de legibus* disputandi salva esse debet, ita ut Doctor iuris omnino inquirere, an haec vel illa lex in primis ab exteris recepta æquitari, analogiae iuris & utilitatib[us] reipubl. conueniens sit, vel non, nec non studere debeat, quomodo næui iurisprudentiæ hac in parte emendandi sint: quod maxime procedit in iure ecclesiastico, siquidem constat, multos in eo næuos reperiiri, & multas falsas conclusiones in eo sæpe incaute admitti, quæ tamen fluunt ex principiis papizantibus, & a nostratis reprobatis, & quæ analogiae iuris diuini tam naturalis quam revelati, nec non utilitati ecclesiæ pariter ac reipublicæ plane aduersantur. Officium ergo doctoris est, defectus & errores legum ecclesiasticarum fideliter & cordate aperire, ut illi auditores, qui aliquando in consilium leges ecclesiasticas ferendi & emendandi adhibentur, tales quoque prudentiam acquirant. Cum vero plerumque auditorum scopus primarius sit, iurisprudentiam iudicalem addicere; Ideo præcipua cura do-

storis esse debet, explicare, quid revera in praxi obtineat, deinde quoque, quid in ea obtinere debeat: quæ distin^{tio} inter ius *constitutum & constituendum* in explicando iure ecclesiastico bene obseruanda est, ne auditores confundantur. Exempli loco sit, si quæstio est de iure patronatus exercendo, utrum hoc admittendum vel reprobandum sit: argumenta pro & contra afferri possunt: scil. (1) quod illud sit contra praxin primiua^e ecclesiæ, vbi in ele^{ctione} ministri totus cœtus concurrebat, (2) contra natu^{ram} societatis ecclesiasticae, cum constitutio ministrorum sit negotium toti ecclesiæ commune, hinc iniquum sit, illam ab unius arbitrio dependere: (3) quod ius patronatus in ecclesia corrupta introductum sit, decrescente fide & pietate, ex rationibus clericorum politicis ad augendas ecclesiarum opes: (4) quod multi abusus in huius exercitio occurrant, cum saepe indigni ad officium promoueantur &c. His quidem argumentis in scholis & in cathedra licet ratiocinari ad reliendum ius patronatus; sed in foro non sic: vbi iudicandum est iuxta ius semel *constitutum* sine disquisitione, an hoc durum & iniquum sit, nec ne. Ex his facile lique^r SCHILTERI definitionem iurisprudentiae ecclesiasticae, dicentis l.l tit. 1. §. 9. quod sit ea iurisprudentiae pars, quæ *actiones causas ciuium christianorum iuxta leges sacras*

IVRISPRUDENTIAE ECCLESIASTICAE. 9

eras atque canones dirigit & diiudicat ad ipsorum & ecclesie atque totius reip. salutem, esse insufficientem; cum saltem iurisprudentiam iudicialem definiat, & legislatoriam omittat. Vnde & rectius ill. THOMASIVS cautel. circa praecongn. iurispr. eccl. c. 1. §. 1. eam definit, quod sit prudentia leges ecclesiasticas ferendi & interpretandi; sed in eo limites huius iurisprudentiae videtur nimis restringere, quod dicat, in ferendis & explicandis legibus hanc prudentiam saltem consistere; cum tamen præcipua pars iurisprudentiae iudicaria esse debeat, seu prudentia actiones hominum iuxta leges diiudicandi. Et licet doctori iuris, quatenus ius ecclesiasticum docet, non secundum illud iudicat, sufficere videatur prudentia leges interpretandi; at tamen cum tales instituere debeat, qui im posterum vel tanquam iudices, vel aduocati leges ad facta applicare possint; omnino quoque & ipsum tali prudentia iuris instruendum esse oportet, qualis a nobis descripta est.

§. V.

Iurisprudentia nostra est vel vniuersa. *Divisio in-*
lis vel particularis: illa est scientia iuris *rispr. ec-*
naturæ, quatenus, sine respectu ad certam clef. in vni-
rempublicam, de sacris aliquid docet, uersal. &
& agit in genere de religione, de iure *particul.*
Principis circa sacra, de vera natura & *descriptio.*
& priaris

A 5

habi-

habitu religionis & rei publicæ erga se in-
uicem &c.

Hæc diuisio iurisprudentiæ in vniuersalem &
particularem ad quamlibet iurisprudentiæ
speciem pertinet ; hinc etiam in ecclesiastica
occurrit. Vniuersalis iurisprudentia
ecclesiastica omnino præcognoscenda , vel
saltem coniungenda est in explicandis fin-
gulis iuris ecclesiastici materiis. De ea qui-
dem doctores iuris naturæ , vt GROTIUS , PVF-
FENDORFIUS , ZIEGLERVS , HVBERVS , THO-
MASIVS & alii passim in suis scriptis agunt ;
Verum cum non ex professo , sed saltem inci-
denter materias huc pertinentes tractarint,
easque non omnes exhauserint ; operæ
omnino pretium esset , vt ex instituto & pe-
culiari tractatu iurisprudentia ecclesiastica
vniuersalis conserberetur , in qua omnia iu-
ris ecclesiastici capita ex solis & quidem ve-
ris principiis iuris naturæ , abstrahendo a
principiis iuris canonici & legum positiva-
rum elaborarentur : quæ sane opera multam
utilitatem afferret , tam ad meliorem cogni-
tionem , quam emendationem iurispruden-
tiæ ecclesiasticæ particularis . Evidem tenta-
uit hoc summus vir PVFFENDORFIUS pecu-
liari libello de *habitu religionis ad statum ci- uilem* , & vere multum hac in re præstit ; sed
plura , quæ eo tempore nondum satis essent
aperta , aliorum diligentia emendanda &

sup-

IVRISPRUDENTIAE ECCLESIASTICAE. II

supplenda reliquit. Vnde laudanda est opera celeb. IO. PAVLI KRESSII ICti Helmstadiensis, olim Ienensis, qui hunc librum cum *commentario* Iena 1712 8tav. iterum edidit, ubi varia autoris asserta solidissimis rationibus & amplioribus meditationibus illustravit, omissa suppleuit, minusque recte dicta correxit.

§. VI.

Particularis est, quæ circa leges ecclesiasticas certæ alicuius reipublicæ occupata, & varia est, tam pro diuersitate religionum, quam rerum publicarum.

Sicut variae in orbe terrarum sunt religiones & respuplicæ; ita quoque pro harum diuersitate variae dantur leges ecclesiasticæ, nec non iurisprudentiæ ecclesiasticæ. Sic pro diuersitate religionum alia est iurisprudentia ecclesiastica *Protestantium*, alia *Pontificiorum*: & pro varietate rerum publicarum alia est *Gallicana*, alia *Anglicana*, alia *Germanica*: & in Germania alia *Saxonica*, alia *Brandenburgica* &c. Nam licet ius principis circa sacra in genere sumtum, vnum idemque sit; attamen cum religiones sint variae, & princeps in legibus ferendis se accommodare debeat rationibus & institutis singularium religionum; hinc quoque variae dantur leges ecclesiasticæ. Quæ diuersitas maxi-

maxime occurrit inter Pontificios & Protestantes, cum apud illos ius circa sacra & potestas leges ecclesiasticas ferendi non principi, sed episcopis & pontifici romano competat: ex quo magna differentia legum ecclesiasticarum oritur, quia clerus romanus in legibus ferendis præcipue pro fine habet, ut hierarchiam suam magis stabiliat, & imperium ciuale opprimat. Qua de causa in explicandis legibus ecclesiasticis & addiscenda iurisprudentia ecclesiastica certa res publica præsupponenda: alias enim magna confusio orietur. Cum vero in Germania & quidem sacris Protestantium addicti simus; talis quoque iurisprudentia, quæ ad rationem ecclesiarum Protestantium germanicarum accommodata est, in nostris Academiis potissimum docenda & addiscenda est.

§. VII.

Diuisio in publicam, publicam & priuatam. Hæc iterum potest diuidi in publicam, quæ versatur circa statum & ius societatis sacræ in uniuersum: & priuatam, quæ concernit ius singulorum membrorum ecclesiæ.

Licet hæc diuisio potissimum apud Pontificios locum habeat; apud quos societas ecclesiastica constituit peculiarem hierarchiam seu rempublicam ecclesiasticam a republica ciuali distinctam; attamen cum apud Pro-

IVRISPRUDENTIAE ECCLESIASTICAE. 13

Protestantes multæ reliquiæ huius hierarchiæ supersint, apud eosdem quoque hæc diuisio occurrit. Ad iurisprudentiam ecclesiasticam publicam refero capita de iuribus *paparum, primatum, metropolitarum, episcoporum, canonicorum, &c.* quæ Protestantibus etiam scitu sunt necessaria & utilia, quod nonsolum multis in locis cum Pontificiis intermixti sunt; sed & quod talia instituta apud ipsos nonnullibi adhuc inueniuntur. Tale ius publicum ecclesiasticum scripsit MAR. ANT. de DOMINIS in tr. de republica ecclesiastica Heidelbergæ 1618 fol. edit. qui licet multa minus necessaria immiscuerit, plurima tamen arcana hierarchiæ papalis detexit. Huc etiam referri possunt IO. FRID. BESELII dissertationes V. ad ius publicum romano - ecclesiasticum complectentes statum romanæ ecclesiæ, dignitatem, potestatem & electionem summi pontificis & reliquorum ecclesiæ membrorum, Cardinalium, Primatum, archi-episcoporum, episcoporum & totius cleri prærogatiwas, Subordinationes & iura, Erphordia 1714, 4to sed parum solide & erudite. His ex nostris tibus anteferendus est IO. SCHILTER in egregio opere de libertate ecclesiarum germanicæ Ienæ 1683 4to, in quo sine dubio ad imitacionem PETR. de MARCA archi-episcop. Parisiensis, qui in tr. de concordia sacerdotii & imper. libertatem ecclesiæ gallicanæ defendere

dere voluit, historiam contentionis inter sacerdotium & imperium seu inter Pontifices & Imperatores statusque imperii ab initio usque ad hodierna tempora per singula secula diligenter pertractauit, demonstrauitque, impp. statusque imperii attentatis papalibus quo quis tempore se opposuisse, libertatemque suam masculine defendisse: Vnde hic tractatus in explicando, tam iure ecclesiastico, quam publico, insignem afferat vsum. Huic omnino adjungenda est ill. THOMASII *historia contentionis inter sacerdotium & imperium*, in qua vir celeberr. veram originem & progressus collisionis inter imperium & sacerdotium intuitu iuris circa sacra per singula secula vsque ad Sec. XVI. summo cum iudicio & eruditione exposuit, multosque errores ab aliis hac in re commissos detexit: adiecit quoque appendicem duobus capitibus constantem; in quorum primo sistit supplementum ad c. 17. *cautelar.* *circa præcognit. iurispr. eccles.* de iure summarum potestatum circa sacra; in altero vero exhibet monita necessaria ad methodum & ordinem continuationis huius historiæ pertinentia, edit. Hale 1722 tav. Conferri quoque possunt SIMON SCHARDIVS *Syllog. historico-polit. ecclesiast.* & MELCH. GOLDASTRVS in *Monarchia imperii III. tom.*, nec non *Polit. imperial.*, qui varios scriptores hoc pertinentes collegerunt.

§. VIII.

§. VIII.

Subiectum, cui huius iurisprudentiae Subiectum
habitum inhæret, est vel subiectum quod, est homo,
id est, quod a iurisprudentia denominatur, qui inde
videlicet homo, qui habitu huius iuris. dicitur Ca-
prudentiae instructus est, & inde ICtus, ac nonista,
in specie Canonista dicitur.

Evidem SAM. MARESIUS Theologus Grœ-
ningensis *Diff. de iure canon.*, præmissa M. AN-
TON. CVCCHI *instit. iur. canon.* tb. 24. stu-
dium iuris canonici magis theologicum,
quam iuridicum esse pertendit; verum MA-
RESIO respondit CASP. ZIEGLERVS *diff. de*
orig. iur. canon. §. 69. docens, quod licet haud
pauca in corpore iuris canonici inuenian-
tur, quæ ad theologicum examen perti-
neant, & ex scriptura decidenda sint, pluri-
ma tamen insint alia, præfertim in decreta-
libus, quæ a Theologo qua tali, nec intel-
ligi quidem possint, tantum absit, ut expli-
cari & dilucidari queant. Quod tetiam
iam olim agnouit IO. HIMMELIVS Theolo-
gus Ienensis *ir. de iur. can. c. 3.* in fin. con-
cedens, decretales, quod mere contineant
forensia, ad forum ciuale spectare, hanc que
partem merito ICtis potius, quam Theo-
logis sibi vindicare. Nobis videtur afferen-
dum, quod studium iuris tam canonici,
quam ecclesiastici primario ad ICtos perti-
neat,

neat, quia causæ sacræ, quæ in hoc studio tractantur, non sub ratione credendorum, sed sub modo iusti, vel iniusti considerantur; iudicare autem quid iustum vel iniustum sit etiam in causis ecclesiasticis solis competit I^Cts, nec Theologi, qua tales, hoc iudicium sibi sumere possunt. Interim non negandum est, hoc studium studiose quoque Theologiæ necessarium & utile esse, quod non solum intelligimus de studio iuris canonici, quod ex corpore iuris canonici desumitur; sed & de studio iuris ecclesiastici in specie sic dicti, quod constat ex ordinationibus ecclesiasticis Protestantium. Nam quod ius canonicum attinet, multa in eo occurruut, ex quibus fraudes & errores papismi optime detegi possunt, in primis autem in decreto multa inueniuntur testimonia veritatis, ex quibus pontificis Monarchia oppugnari potest, quod solide demonstravit INNOCENTIUS GENTILETVS Delphinas I^Cts in *apologia pro christianis gallis religio-
nis euangelicae seu reformatæ secunda vice edi-
ta 1588. 8tav.* in qua controversias, quæ inter protestantes & pontificios agitari solent, ex ipsis canonibus a Romanis Pontificibus approbatis solidissime & satis feliciter decidit. Specimen huius rei quoque edidit IO. HAL-
LERVS in libello, cui titulus est : *Sententiae
ex decretis canonicis collectæ 1571 edito*, ubi idem exhibet symphoniam catholicæ iuris cano-

canonici seu decreti Gratiani, cum scripturis canonicis in XXXV capitibus religionis maioris ponderis. Sic & IO. CHRISTOPH. PFAFFIVS *diff. sub tit. dogmata Protestantum ex iur. canon. comprobata Tübinger 1712*, singularē quādam dogmatū nostrorum illūstriorū σύμφασιν CXIII thesibus comprehensam ex suffragiis iuris pontificii sexcentis demonstrauit. Idem præstítit SAM. STRYCKIVS in *tr. posthumo sub tit. præsidium religionis euangelice ex iur. canon. Lipsiae 1722*, in quo varia asserta pontificiorum ex ipso iure canonico refelluntur, & nostratū dogmata ex eodem comproban-
tur. Quæ sola ratio studiosos theologiæ ex-
citare debet ad studium iuris canonici, ex
quo tanquam armamentario tela sufficien-
ter contra aduersarios promere, eosque
proprio gladio iugulare possunt. Optimus
enim disputandi modus est, aduersariorum
dogmata ex principiis concessis impugna-
re, & ex eorum assertis, sua stabilitate. Quod
in hoc casu eo magis necessarium esse vide-
tur, cum inter Pontificios nonnulli exti-
tere, qui varia ecclesiæ suæ tradita ex jure
canonico contra Protestantes defendere
ausi sunt, ut hoc fecit IO. PAVLVS WINDECK
tr. de Theologia Ictorum Coloniae 1604. 4to,
in quo multa Pontificiorum dogmata ex
canonibus, traditione & Iustinianī legibus
probare nictūt. Sed quam absurdum sit,

B.

contra

contra aliquem disputare ex principiis ab ipso non admissis, quilibet partium studiis non addictus facile videt. Protestantes quidem tradita juris canonici & Iustiniani eatenus, quatenus suæ confessioni non sunt contraria, admittunt, sed ea, quæ isti repugnant, recte meritoque rejiciunt. Nam licet in Iure canonico nonnulla vera & genuina religionis christianæ dogmata reperiantur, quippe quæ ex conciliis & Patribus priorum seculorum excerpta sunt; multa tamen in eo inveniuntur, quæ falsa, & S. Scripturæ sunt contraria, quippe quæ in ecclesia corrupta nata sunt. Deinde quod jus ecclesiasticum attinet, illud quoq; studioſo Theologiæ scitu necessarium est, sive consiliarii ecclesiastici, sive superintendentis, sive assessoris consistorii, sive Doctoris academici, sive denique simpli-
cis pastoris officio aliquando admoueat-
ur, quod alibi plenius demonstrabimus.

§. IX.

*Subiectum quo, id est, quo mediante
quo, est in- jurisprudentia homini inest, est intel-
tellectus.*

Ad acquirendum hunc habitum requiritur non solum *naturalis intellectus bonitas*, sed & diligens *legum ecclesiistarum tractatio*: quæ consistit tam in *theoria*, id est audiendo, legendo, indagando, docendo &c. quam in

in praxi seu applicatione legum ad casus obuenientes: quod fit & instituendo actiones suas proprias secundum leges ecclesiasticas, & dijudicando actiones aliorum juxta illas. Præterea ad solidam iurisprudenciam ecclesiasticam comparandam necesse est, ut intellectus aliis scientiis in primis iuris naturæ, theologie, historia ecclesiastica, politice &c., instructus sit, ut infra §. xxv. seqq. demonstrabitur.

§. X.

Obiectum huius iurisprudentiae seu Objectum potius iuris ecclesiastici totale, est ecclesia, quæ est vel inuisibilis, vel visibilis: ius ecclesia, Objectum totale est ecclesiasticum concernit saltem ecclesiam quidem invisibilem: nam inuisibilis iudicio diuino fribilio. relinquitur.

Ecclesia, quæ est multitudo hominum deum colentium, dividitur in inuisibilem & visibilem: illa est coetus electorum, qui, licet ratione externæ conuersationis in ecclesia visibles sint; invisibiles tamen sunt ratione fidei & internæ regenerationis, & in hoc respectu soli Deo cogniti II. Timoth. II. 19, & in Deo cum Christo absconditi, Coloss. III. 3. per vniuersum terræ orbem dispersi, Rom. XI. 4, 5. qui vnum corpus mysticum sub capite Christo constituant,

Ephes. V, 23 & 32. Hæc ecclesia nulli imperio humano, tam in societate ipsa, quam in singulis ejus membris, circa sensum de Deo cultumque diuinum internum, est obnoxia: hinc non est huius loci, sed solius dei juri relinquitur. Interim necesse est, ut illius natura bene inuestigetur, & a *visibili* rete discernatur, ne prædicata, quæ illi competunt, *hunc* tribuantur: vtriusque igitur fines bene distinguendi sunt, quo tam principi potestas circa sacra, quam conscientiis libertas salua sit. Ecclesia *visibilis* est societas hominum externa ad Deum colendum coadunata. Hæc iterum vel *priuata*, quæ publica autoritate destituitur, & saltem priuato coeuntium pacto unita est, qualis fuit primitua ecclesia: vel *publica*, quæ publica autoritate & approbatione constituta, seu quæ publicum & stabilem religionis cultum exercet. Ultraque est objectum juris ecclesiastici; primario tamen ecclesia *publica*: nam ecclesia *priuata* solet sibi ipsi ordinationes ecclesiasticas præscribere, quæ membra istius societatis non per modum *legis*, sed *pacti* obligant. Exemplum præbent primituæ ecclesiæ, item ecclesiæ reformatæ per Gallianum, quæ tales ordinationes considerunt. Hoc tamen ipso principi jus præscribendi leges ecclesiasticas non adimitur, sed ipsi omnino integrum est, si velit, *sacra subditorum*

torum privata, licet iis non sit additus ordinare, ut bene demonstrant BRVNNEMAN *jur. ecclesiast.* l. 1. c. 2. §. 26. & BOEHMER *Iur. eccles.* l. 1. tit. 2. §. 99. licet hoc raro facere soleat.

§. XI.

Ecclesia pro uisibili sumta consideratur *Confide-*
vel in se, vel in habitu ad rempublicam: *ratur vel*
Priori consideratione ecclesia est societas *in mem-*
æqualis, & ratione membrorum suorum *bris suis,*
dividi potest in doctores & auditores. *& dividi-*
tur in do-
cetores &
auditores.

Falsa est ergo divisio eorum, qui personas
respectu ecclesiæ dividunt in *imperantes* &
parentes: sub illis intelligunt clericos, sub
his laicos: & ita quandam hierarchiam seu
remp. ecclesiasticam construunt. Verum
ecclesia in se, secundum ejus genuinam
indolem, considerata est societas *equalis*,
ubi neuter imperat, sed simplici pacto con-
stat, eoque expresso vel tacito: hinc *colle-*
gii speciem repræsentat: Sicut autem col-
legii natura est, quod plures homines certi
negotii gratia coeant, & ad communem
finem laborent; ita & societatis ecclesiasti-
cae ratio in eo consistit, quod homines
conjunctis viribus deum colant, religionem
que suam exerceant: nullus ibi est ordo
imperantium & parentium, nemini ex iis im-

perium competit, omnes sunt æquales; adeo ut nec *principi*, quatenus ut membrum ecclesiæ consideratur, plus juris competat, quam reliquis sociis: hinc falluntur illi, qui principi jus circa sacra tribuunt, qua primario membro, sed plane alio respectu ipsi hoc jus competit, de quo §. *sequent.* dicendum erit. Neque *clerus* plus juris habet, quam ipsi ab ecclesia commissum est: hoc vero saltem consistit in potestate docendi & administrandi sacramenta, ex qua nullum imperium fluit. Exinde patet, quod simplicissima divisio personarum, respectu ecclesiæ in membris suis consideratae, sit in *dottores & auditores.*

S. XII.

Vel in rea Posteriori respectu ecclesia se habet, ut spectu ad peculiaris societas in republica existens, *rempubl.* & quoad actiones suas, quæ iure divino ubi *confiderand.* *ius* non determinatae sunt, subjecta est civili circa *sa-* potestati, quæ normam præscribere potest, *era.* secundum quam actiones istæ sunt dirigendæ.

Ecclesia, quatenus externa est societas, est instar peculiaris societatis in rep. existentis. Sicut autem principi in omne id, quod in republ. est, summa potestas competit; ita eadem quoque potestas ipsi tribuenda est in ecclesiam. De hac autem potestate circa

ca sacra variae sunt sententiae, quæ tamen possimum ad tres classes referri possunt. *Prima* sententia est Pontificiorum, qui totum hoc jus *Pape* tribuunt, adeo ut imperantibus nihil relinquant. Huc quoque referri possunt nonnulli Protestantium, ut Presbyteriani in Anglia, qui omnia *presbyterio* subjiciunt, & principi nil nisi defensionem ecclesiæ & executionem eorum, quæ presbyteri decreverunt, committunt. *Secunda* est Hobbesianorum, qui quicquid religionis aut juris ecclesiastici in hoc mundo esse queat, id omne imperio civili subiiciunt. Horum autor est THOM. HOBBES, Anglus qui tr. de *cive c. 18. §. 6 & 14.* expresse statuit, jus quoque statuendi de dogmatibus fidei Christianæ ad imperantem pertinere, nulla excepta, nisi hæc vna, quod Iesus sit Christus Dei: reliqua credendi capita non esse fidei, sed obedientiæ, in quibus si erratur, imperantes non subjectos rationem reddere debere. Eandem opinionem fovet ADRIAN. HOVTVINVS. Belga in *Politica contraria*, ex qua nonnulla huc spectantia excerpit SAM. PVFFENDORFIVS, suoque tr. de *habitu religion. ad stat. civil.* cum solidissimis animaduersionibus adjecit. *Tertia* est eorum, qui distinguunt inter jus circa ecclesiæ *interna* & *externa*: illud ciuili potestati denegant, hoc vero ipsi adscribunt. Eam quoque amplectuntur CONRINGIUS, BRVN-

B 4 NE-

NEMANNVS, ZIEGLERVVS, LINCKIVS, HYBVERVS & plures alii. Ex his tribus sententiis ultima prioribus præferenda: Nam prima statuit *Papo-Cesariam*, altera *Cesaro-Papiam*: Ultraque vero extrema evitanda sunt, & media via eligenda est. Licet quidem sententia distinguens inter *jus internum* & *externum* ecclesiæ bene fese habeat, si recte explicetur; attamen, cum illi, qui hanc sententiam defendunt, certo principio deſtituantur, ex quo derivari possit, quid vel ad *interna* vel ad *externa* ecclesiæ referendum sit; non mirandum est, hos autores, cum de effectibus specialibus juris circa sacra agant, valde fluctuare, sibique ſæpe contradicere. Ut igitur his difficultatibus obuiam eamus, certum principium ponendum est, ex quo jura circa sacra deducenda sunt. Et quidem hæc regula nobis struenda esse videtur: *quicquid jure diuino precepitum est, illud nulli imperio humano subjetum est*: Econtrario, *quicquid jure diuino non est determinatum, illud pertinet ad supremam potestatem reipublicæ*. Quum vero multa sint in ecclesia, quæ Deus non determinauit, & quæ aliter esse possunt, sicuti re ipsa alibi aliter sunt; facile patet, ea omnia imperio summæ potestatis absolute consideratae subjecta esse, ita ut juberi prohiberique possint. Si ergo hæc regula profundamento iuris circa sacra ponitur, & secun-

cundum eam quæstiones , an hoc vel illud principi in ecclesiasticis competit, nec ne, recte examinantur atque applicantur; facillimo negotio omnes controuersiæ etiam maximi momenti hac de re occurrentes, decidi possunt. In applicatione autem hujus regulæ duo adhuc notanda sunt. (I.) Quod cum doctrina de jure principis circa sacra conjungenda quoque sit doctrina de *officio* illius, quatenus est *membrum* ecclesiæ: Nam princeps, quatenus *talis*, in exercitio suæ potestatis intendit saltem salutem reipublicæ , & ecclesiæ externæ; sed quatenus est *christianus*, seu membrum ecclesiæ, obligatur quoque ad salutem ecclesiæ internæ, quantum officium christiani permittit, id est, non imperio, sed amore, adhortatione & exemplo promouendam. (II.) illa regula de jure principis circa sacra capienda est de principe *absoluto*: Nam vbi per paœta & leges publicas negotia ecclesiastica semel determinata sunt, in illis, licet alias hæc alter se habere possint, princeps nihil mutare potest. Qua de causa, quod principes nostri imperii attinet, horum potestas circa sacra per leges imperii, inprimis per Pacem Westphalicam , nec non saepius per paœta specialia cum statibus prouinciæ est restricta , ita ut in rebus ecclesiasticis inprimis diuersæ religionis non possint pro-

arbitrio disponere. In quantum vero horum protestas circa sacra sit temperata, id ex jure publico particulari cuiusuis provinciae seu reipublicae addiscendum est.

§. XIII.

Obiectum particulare sunt negotia ecclesiastica, seu actiones ciuium, quatenus res sunt negotia ecclesiastica.

Ex quo patet, quod actiones eorum hominum, qui non sunt membra ecclesiæ, v. g. Iudæorum, vel aliorum diversæ religionis, licet sint subditi in ista ciuitate, huc non pertineant; interim princeps, si velit, eorum sacræ leges, secundum quas illa sunt peragenda, omnino præscribere potest, ut hoc bene demonstrauit ill. BOEHMERVS diff. de jure princip. circa infideles add. supra §. X. Caeterum Iurisprudentia ecclesiastica pro objecto saltem habet actiones ciuium in ecclesiasticis, non in secularibus occurrentes: haec enim sunt obiectum iurisprudentiae ciuilis, & in hoc vtraque Iurisprudentia in primis differt.

§. XIV.

Finis proximus est vel proximus vel remotus: proximus est ap-

applicatio Iuris ecclesiastici ad actiones applicatio
hominum morales in societate ecclesia- iuris ec-
stica occurrentes, non solum alienas, sed clesiaſt.
& proprias, tam præteritas, quam præ-
sentes, futurasque.

Quemadmodum scopus studiosi iuris ecclesia-
stici esse debet acquisitio habitus illius iu-
ris; ita quoque ICti, seu illius, qui habi-
tum iuris adeptus est, finis esse debet ap-
plicatio iuris ad actiones hominum moralis-
tatem habentes: quod sit variis modis: vel
(1) *docendo*, seu aliis iurisprudentiam tra-
dendo, idque tam viva voce, quam
scriptis, vel (2) *consulendo*, seu interro-
gantibus de iure respondendo; vel (3)
postulando, s. aliorum causas in iudicio
perorando, vel denique (4) *indican-
do*, seu causas controuerfas in iudicio de-
cidendo. Non solum autem applicatio
iuris debet fieri ad actiones *præteritas*, sed
& *præsentes* & *futuras*: & haec est iuris-
prudentia cautelaria, quæ docet, quomo-
do homo actiones dirigere debet, ut sint
iustitiae conformes, & ne peccando contra
leges damnum incurrat. Licet quidem
differentia sit inter *iustum* & *iurisprudentem*,
veri tamen ICti finis quoque esse debet
applicatio iuris, non solum ad actiones alienas,
sed & proprias, nempe ut ipse quoque
iuxta præcepta legum actiones suas tam

præ-

præsentes & futuras instituat, quam præteritas dijudicet. Finis enim ipsius remotus esse debet iustitia & salus reipublicæ, qui tamen aliter obtineri non potest, nisi & ipse actiones suas secundum leges dirigat.

§. XV.

Finis remotus est salus ciuium in ecclesia viuentium, tam singulorum, quam salus reip. potissimum in vniuersum, seu totius ecclœ & reipublicæ, vt scil. omnia ordine non inter- & decenter in ecclesia agantur, & salus na sed ex- reipublicæ conseruetur promoueatur terna. que.

Cum in prudentia legislatoria finis sit *salus reipublicæ*, nec aliis esse potest in prudentia iudicaria. Licet in applicatione legum proxime intendatur iustitia; remote tamen eo ipso salus populi promouetur: nam si actiones ciuium, iuxta normam legum, quæ ad salutem reip. latæ sunt, recte instituuntur & diiudicantur, non potest non, quin beatitudo ciuilis inde quoque eueniat. Nostra autem iurisprudentia non solum in genere intendit salutem reipublicæ, sed & in specie salutem societatis ecclesiasticæ non internam, sed vt plurimis placet, *externam*: A qua sententia abeunt Canonicæ Pontificii, vt IO. PAVLVS LANCELOTYS in *tit. i. §. 1. VALER*

IVRISPRUDENTIAE ECCLESIASTICAE. 29

LER. ANDR. DESSELIVS *erotem. iur. can. l. i.*
tit. l. qu. l. LVDOV. ENGELIVS colleg. iur. ca-
non, proœm. n. l. & alii, qui finem iuris ca-
nonici dicunt, beatitudinem æternam.
Quibus regeri potest, cum omnes le-
ges habeant vim coactiuam, sequi, etiam,
leges ecclesiasticas contra inobedientes
coactionem inuoluere: Sicut autem cer-
tum, & tam sanæ rationi, quam S. Scri-
pturæ conforme sit, neminem ad beatitu-
dinem æternam cogi posse; ita per se sequi,
neque iuris canonici, neque aliarum legum
ecclesiasticarum finem esse beatitudinem
hominum æternam. Evidenter celeberr.
*BOEHMERVS diss. præliminaris *iur. eccl.**
**l. i. de supra* lege ecclesiastica pluribus*
afferere studet, iurisprudentiæ ecclesiasti-
cæ finem esse debere, salutem ecclesiæ
non saltem externam, sed & inter-
nam; Verum licet facile concedatur,
ecclesiam, ratione membrorum suorum
intendere non solum salutem externam,
sed & internam, seu beatitudinem æternam,
quod saltem probent argumenta a lauda-
to BOEHMERO adducta; attamen ad hunc
finem non posse se extendere potestatem
legislatoriam. Cum enim leges ecclesiasti-
cæ saltem concernant externa, non inter-
na ecclesiæ, quia haec tanquam spiritualia
nulli coactioni, qualis leges inuoluunt,
subiecta sunt, ut ipse laudatus BOEHMERVS
iur.

iur. paroch. Sect. 1. c. 2. §. 50. & c. 3. §. 18, et seqq. defendit, sequi, quod finis tam legum ecclesiasticarum, quam iurisprudentiae ecclesiastice non possit esse salus ecclesiae interna, sed saltem externa, ut scilicet omnia ordine & decenter in ecclesia tractentur, & reipublicæ salus & tranquillitas inde non laddatur, sed potius conservetur. Interim hoc facile conceditur, principis, qua christiani officium esse, curare, vt salutem ecclesiae internam quoque promoueat; hoc vero non sit legibus, seu modis coactiuis, sed admonitionibus & exemplis, prout cuiuslibet christiani idem officium est: quamuis certum sit, principem maiori cum effectu, hoc praestare posse, cum omnia ea, quæ huic fini obsunt, amouere, & e contra ea, quæ isti inseruiunt procurare queat.

§. XVI.

Fonnes hu- Principia, ex quibus iurisprudentia no-
ius iuris stra hauritur, sunt leges ecclesiasticae, quæ
pr. sunt le- sunt regulæ a superiori præscriptæ, secun-
ges eccl- dum quas actiones hominum circa ne-
siastice, ea- gotia ecclesiastica occurrentes diriguntur,
rum defi- & ortæ de iis controversiæ deciduntur.
nitio.

A legibus ecclesiasticis discernenda sunt præ-
 cepta religionis, quæ sunt normæ & regu-
 lae cognoscendi & colendi Deum ex lumi-
ne

ne naturæ vel revelationis homini cognitæ: vnde & religio est duplex, vel *naturalis*, quæ ex natura per rationem cognoscitur, vel *reuelata*, quæ homini per S. scripturam patefacta est. Vtraque constat duobus potissimum capitibus, scil. tam *notitia* dei, quam *cultu* deo exhibendo; hic iterum est vel *internus*, vel *externus*. Scientia, quæ utriusque præcepta proponit, dicitur Theologia, & dividitur in naturalem & reuelatam; quamvis itaque cura excollendæ religionis ad Theologos spectet, omnis tamen religionis quoque habitudo, in ordine ad ciuilem societatem, politicæ & iuridicæ est considerationis. add. §. XXVI.

§. XVII.

Ratione causæ efficientis leges sacræ *Divisio* diuindi possunt in diuinæ & humanæ: *diuinæ* & illæ in naturales & reuelatas, quæ iterum *humanæ*. sunt vel vniuersales, vel particulares.

Lex diuina est, quæ esse suum habet a diuina maiestate, & est vel *naturalis*, vel *reuelata*, illa a Deo homini per dictamen reæ rationis iubentis ea, quæ humanæ naturæ necessario conueniunt, & prohibentis illi contraria, promulgata est. Estergo lex naturæ a Deo, non vero a ratione tanquam causa efficiente. Nempe ratio non constituit ius naturæ, sed saltem ostendit,

dit homini , vt tanquam in speculo intueri possit regulas cum sanctitate & iustitia Dei conuenientes : Quod vero non ita intelligendum est , quasi illius legis notitia homini sit quasi connata , vt non nulli volunt , sed quod per rationem ex diligentia naturæ contemplatione eadem acquiri possit . Lex *reuelata*, seu *diuina positiua* est , quæ a Deo per S. scripturam homini est publicata , & est vel *uniuersalis* , quæ omnes homines obligat , dicitur alias quoque lex *diuina moralis* : vel *particularis* , quæ saltem concernit rem publicam iudaicam , & est iterum vel *ceremonialis* , quæ agit de personis & rebus sacris ecclesiæ iudaicæ propriis : vel *forensis* , quæ agit de rebus politicis reip. iudaicæ , vtraque Christianos non obligat : illa enim tanquam typica per aduentum Christi est adimpta ; hæc vero sublata rep. Ebræorum , quam solam vtpote Theocraticam stringebat , eo ipso quoque cessat .

S. XVIII.

Divisio legum eccles. Leges ecclesiasticae humanæ sunt vel *scriptæ* , quæ expressa legislatoris voluntate in *scriptas* sunt publicatæ : vel non *scriptæ* , quæ tacita superioris voluntate vsu & consuetudine subditorum in sacris sunt introductæ , quarum maxima pars occupata est circa-

circa disciplinam ecclesiasticam & liturgica.

Hæc distinctio in ius *scriptum* & *non scriptum* non solum in iure ciuili obtinet, sed & in iure ecclesiastico occurrit. Et eadem est origo huius distinctionis in utroque iure: Sicut enim in ciuilibus consuetudines antiquiores sunt legibus scriptis, ut docuit ill. THOMASIVS diff. de *contentione*. *morum* cum *iure scripto* §. 6 seqq. & IDEM diff. de *iure consuetud. & obseruantia*; ita quoque in sacris ius non scriptum iam ex Apostolorum & ecclesiæ traditione & consuetudine enatum est; Siquidem iam olim de *antiquis moribus* disceptatum est, ut patet ex nobili illo *can. VI. concil. Nicen.* I. de cuius intellectu magna est inter eruditos disceptatio, & de quoniam alibi. Paucissima instituta ecclesiastica fuisse scripta, pleraque moribus antiquissimis deberi, & ad obseruantias ecclesiasticas referendas esse testatur historia ecclesiastica. Usum autem obseruantiae ecclesiastice potissimum fere exferere circa disciplinam ecclesiasticam & liturgica bene demonstrauit ill. BOEHMERVS diff. de *obseruant. ecclesiastica Hale 1707* habita, quam integrum inseruit iuri ecclesiastico l. 1. tit. 4. de *consuetudine*.

§. XIX.

Porro ratione subiecti leges ecclesiasticae sunt vel generales, id est pontificis & protestantibus communes: vel particulares singulis ecclesiis propriæ; ad illas pertinent (1) concilia tam vniuersalia, quam particularia, in primis Germanica, (2) ius iustinianum, quatenus de sacris disponit, (3) ius canonicum & (4) leges imperii ecclesiasticæ.

§. XX.

Concilia sunt vel oecumenica, vel nationalia, vel prouincialia: quæ omnia, ecclesiasticas generales pertinent, sunt confirmata, vel eorum tacito consensu recepta, & a protestantibus non reiecta, ad fontes iuris ecclesiastici recte referuntur.

Canones conciliorum tam vniuersalium, quam particularium, licet per se nullam autoritatem legis habuerint, cum patribus in illis congregatis potestas leges condendi non competit; Valuerunt tamen omnino vel ex confirmatione imperatorum, vel ex eorum receptione & vsu. Et cum certum sit, concilia tam generalia, quam specialia,

exce-

exceptis quibusdam, quæ expresse a Germanis sunt improbata, in ecclesiis Germanicis ante reformationem obtinuisse, eaque per reformationem non esse rejecta, sequitur, quod illa etiam hodie ecclesiæ protestantium ex antiqua receptione & libera retentione obligent, nisi demonstrari possit, quod ea S. scripturæ sint contraria, vel per obseruantias & ordinationes ecclesiasticas iis sit derogatum. Valent ergo saltem in subsidium, tam ad illustrandum, quam supplendum ius ecclesiasticum protestantium. Interim tamen non nego, quod principes protestantes etiam ea, quæ in conciliis oecumenicis statuta sunt, prævtilitate ecclesiæ & reipublicæ mutare possint: Hinc & facile decidenda est quaestio, an princeps celebrationem festi Paschatos die 14 Martii, quod in concilio Niceno prohibitum est, statuere possit. Collectiones conciliorum omnium variæ sunt, quæ recensentur in aliis erudit. Lipsiens. Mens. Aucto
gusto 1684. p. 348. a IO. ANDR. BOSIO notit. scriptor. eccles. c. 6. §. 10. IO. SCHMIDIO Sagittar. introd. in bistor. eccles. to. 2. sect. 2. c. 1. BVRC. GOTTHELF. STRVPIO bibliothec. iur. c. 13. §. 6. IO. ALBERT. FABRICIO Bibliothec. græc. p. IV. vol. XI. & in compendio sunt hæ sequentes a IACOBO MERLINO 2. tom. Parisis 1524, 1535. PETRO CRABBE 2. tom. Mechlinæ 1538. ULI. FRANC. IOVERIO 3. tom. Paris. 1555.

LAVRENTIO SVRIO 4. tom. Colonia 1567. 1627.
 DOMINICO NICOLINO 5. tom. Venet. 1585.
 SEVERINO BINIO 5 tom. Colon. 1606, 9 tom.
ibid. 1618. Parif. 1638. ROMANA 1608. REGIA
Parif. 37 tom. 1644. PHILIPPO LABBEO &
 GABRIEL COSSARTIO 17. tom. *Parif.* 1670.
 STEPHAN. BALVZIO *Parif.* 1683. IO. HARDVI-
 NO 12. tom. *Parif.* 1715. Summam conciliorum
 omnium exhibent BARTHOLOM. CARAN-
 ZA *Francof.* 1671 8tav. & FRANC. LONG. a
 CORIOLANO *Antwerp.* 1623. fol. Collectio-
 nes conciliorum nationalium diuersæ quo-
 que sunt: Sic Galliæ a LAVRENT. BOCHEL-
 LO *Parif.* 1621, IAC. SIRMONDO 3. tom. 1639.
 PETRO DE LA LANDE *Parif.* 1666. Hispaniæ a
 GARSIA LOAYSA *Madriti* 1593. a 10.
 SEPH. SAENTZ de AGVIRRE 4. tom. *Ro-*
ma 1693. Britanniæ ab HENR. SPEELMAN-
 NO *Londin.* 1639. Optandum esset, ut
 etiam codex conciliorum germanicorum
 extaret, qui sine dubio magnam utilitatem
 ad illustrandum ius ecclesiasticum germa-
 nicum præbiturus esset.

§. XXI.

2) *Ius Iu-*
stinianum Alter fons iuris ecclesiastici est ius Iu-
 stinianum, quod varias leges ecclesiasti-
 cas continet & protestantes quoque ex
 receptione obligat, quatenus iuri cano-
 nico, legibus imperii & ordinationibus
 ecclesiasticis non est contrarium.

In

In iure Iustineaneo, scilicet in Codice & Novellis multas reperiri leges ecclesiasticas facile ex eorum inspectione liquet, quod probant libri 1. Codicis tituli priores v. g. de summa trinitate & fide catholica, de sacrofanci eccles. & rebus & privilegiis earum, de episcopis & clericis, de episcopali audiencia, de hereticis &c. it. Nouel. 2. 5. 7. &c. Hoc etiam ex instituto demonstrauit IO. ARNOLDVS CORVINVS in tr. de Iustiniano Catholico. add B. aui GEORG. ADAMI STRUVII progymnasmatis. in libr. 1. C. tit. priores seu ius sacrum Iustinianum Iene 1668. 4to. Hoc quoque ius apud Protestantes in causis ecclesiasticis in subsidium, si ordinationes ecclesiasticae & ius canonicum deficiunt, locum habere, satis patet ex scriptoribus iuris ecclesiastici in primis CARPOVIO & BRVNEMANNO; In discrepantia autem vtriusque iuris ius canonicum, tam in causis ecclesiasticis, quam ciuilibus, in dubio iuri ciuali praeferendum esse, ex instituto ostendimus in peculiari schediastmate de prerogatiua iur. canon. pra iure iustinianeo ann. 1722 edito.

§. XXII.

Tertium principium est ius canonicum, ^{3.)} *Ius canon. nonicum.* quatenus constat in corpore iuris canonici, quod non quidem ex se, sed ex liberali receptione, vel retentione, in genere ob-

C 3 ligat

ligat ecclesias protestantium , nisi nostræ confessioni contrarium , vel eidem per leges imperii , nec non ordinationes & obseruantias ecclesiasticas specialiter derogatum sit.

Ius canonicum late sumtum duplex est : *canonicum* in specie sic dictum , quod ntitur canonibus conciliorum , & *poneficium* , quod ex epistolis & constitutionibus pontificum constat : illud tractat per se tantum res ecclesiasticas , hoc vero etiam res & causas ciuiles : illius intentio fuit , sacra saltē ordinare ; huius vero , imperium etiam in ciuilibus usurpatum firmare : illud a conciliis profectum , ab imperatoribus & regibus confirmatum & in vtraque ecclesia tam orientali , quam occidentali promulgatum ; hoc vero a curia romana deriuatum : illud magis in decreto Gratiani , hoc in decretalibus reperitur , vid . 10. SCHILTERVS prefat . ad insti . iur . eccles . Licet quidem haec sua natura different ; attamen quoad effectum , seu vim obligandi , non magna differentia est , quia totum corpus iuris canonici in genere & in suo complexu , sine vlla differentia iam ante reformationem in Germania receptum , & post reformatiōnem a protestantibus retentum est . Hoc corpus iuris canonici , quo hodie utimur , constat variis partibus . I.) Primam ilius par-

partem facit *Decretum GRATIANI* Monachi Benedictini, quod circa annum 1150 sub Eugenio III. non solum ex concilio. rum canonibus & patrum dictis, sed & ex Pontificum epistolis decretalibus ac legibus imperatorum collectum, & in tres partes divisum est. *Prima* pars continet distinctiones CI, & qualibet distinctio varios canones, in qua solet allegari canon, vel per numerum, vel per verba initialia, vel per utrumque, vna cum numero distinctionis v. g. c. *Clericus 3. dist. 46.* *Secunda* habet causas xxxvi. & qualibet causa varias questiones, in qua eadem ratione numerus capituli, dein causæ, denique questionis citatur v. g. c. *videntes 16, caus. 12. qu. i. seqq.* N.B. Post causæ xxxiii. questionem iii. insertus est tractatus de pœnitentia vii. distinctionibus constans: in quo eadem allegatio obseruatur, vt in prima parte, addito solum vocabulo de pœnitent. v. g. c. *Nullus 6. dist. 7. de pœnit.* *Tertia* pars est de consecratione, quæ habet V. distinctiones, allegatio coincidit, solum pro voce de pœnitent. substituitur vox de consecrat. v. g. *Noite 48. dist. 1. de consecrat.* Licet hæc collectio a nullo pontifice expresse confirmata sit, magna tamen semper fuit autoritatis, & exinde quod a pontificibus academiis ad prælegendum datum, & in foro communiter usu receptum sit, tacita ap-

probatio & vis canonica inferri potest: In primis cum Gregorius XIII, reliquis partibus iuris illam annumerauerit, atque adeo recognosci, corrigi, repurgari & retineri mandauerit.

II.) Partem corporis canonici constituunt *decretales* GREGORII IX, qui epistolas tam proprias, quam anteriores pontificum, quibus responderunt consulentibus, per Raimundum de Penna forti Capellatum & pœnitentiarium suum in unum corpus colligi jussit, idque anno 1230 publicauit confirmauitque. Constat hæc collectio V. libris, quorum quilibet continet suos titulos, omnes simul 185. Allegari ex iis solent numerus vel verba initialia vel utrumque capituli & rubrica tituli, addita voce *Extra* vel *X*, quod hæc *decretales* sint extra decretum v. g. c. va- cante 26 X. de præbend.

III.) Pars est liber *Sextus* BONIFACII VIII, qui anno 1298 novam *decretalium compilationem*, in primis ex Innocentii IV. Gregorii X, Nicolai III, & propriis suis constitutionibus edidit: Divisa est hæc collectio in V libros & eosdem fere titulos, ut Gregoriana, & liber *sextus* *decretalium* dicitur, quia Gregorii IX libris quinque quasi in supplementum additus est. Allegatio fit eodem modo, ut in Gregoriana, ad dito solum vocabulo in 6to v. g. c. quamvis 38. de Præbendis in 6to. IV.)

IV.) Pars sunt *Clementinae*, seu constitutions CLEMENTIS V. quæ, cum ipse morte præuentus eas publicare non potuerit, editæ sunt a successore IO. XXII. sub titulo *Clementinarum* anno 1317. Inclusæ sunt libris V. iisdemque titulis ordine decretalium. Allegantur modo præcedenti, addita voce *Clement.* v.g. c. Per literas 2. de *Præbend. Clement.*

V.) *Extravagantes* IO. XXII. seu eius constitutiones viginti, extravagantes dictæ, quod olim vagarentur extra corpus iuris canonici. Nam neque a Ioanne, neque ab ullo pontifice sunt vulgatae, aut approbatæ, sed priuata autoritate collectæ anno præter propter 1340, quo tempore iam mortuus fuit IO. XXII.

VI.) *Extravagantes communes*, ita vocantur, quia non sunt vnius papæ. Hæc collectio prodiit circa annum 1484. itidem priuata autoritate facta, & a nullo pontifice approbata: Continet non solum constitutiones IO. XXII. & eius antecessorum, sed & Eugenii IV, Calixti III, Pauli II, Sixti IV, qui longe post IO. XXII. vixerunt. Vtræque collectiones olim non magnæ erant autoritatis, quin a multis pro haereticis & falsis habebantur; postquam vero ipsæ per doctores iuris canonici in scholas introductæ & corpori iuris canonici insertæ sunt, magnam apud Canonistas faciunt fidem. Modus allegandæ vtriusque colle-

ditionis est idem, addito verbo *Extravag-*
v. g. c. *Execrabilis* 1. de *præbendis Extrav.*
IO. XXII., it. c. *ad romani* 14. de *Præbend.*
Extravag. commun.

Ex his partibus constat corpus iuris ca-
nonici, quod corpori iuris civilis æquipa-
rari solet, ita ut Gratiani decretum Pan-
dectas, Decretales Codicem, Sextus, Cle-
mentinæ & Extrauagantes Nouellas re-
præsentent. Ut vero in omnibus cum cor-
pore iuris civilis conueniat, ad imitationem
Institutionum Iustinianearum conscriptis
IO. PAVLVS LANCELLOTTVS *institut. iur. ca-*
nnon. libr. IV. anno 1563. Earum confir-
mationem a pontificibus impetrare non po-
tuit, id solum obtinuit, ut corpori iuris
annexæ sint, sine tamen ulla confirmatione.
Eodem quidem tempore Pius IV, tentauit
emendationem Decreti Gratiani, sed eam de-
mum Gregorius XII, perfecit & anno 1582
publicauit. Ab eodem quoque emendatae
sunt Decretales, tam ex anteriorum collec-
tionibus, quam registris Pontificum. Et
hac emendatione hodie utimur. Sequen-
tium pontificum constitutiones priuata
industria collegit PETRVS MATHAEI ICtuS
Lugdunensis anno 1590 sub titulo *libri*
septimi decretalium, sed a nullo pontifice
est approbatus, & licet ab eo tempore qui-
busdam editionibus corporis iuris sit adie-
ctus; tamen apud Canonistas non ex omni
parte

parte authenticus habetur. Inter editiones corporis iuris canonici, quarum variae sunt, optima est PETRI & FRANCISCI fratrum PITHOEORVM Paris. 1687 fol. post Lipsia 1695 & 1705. fol. recusa. De origine, progressu, usu & autoritate iuris canonici nihil amplius addo, cum ea de re peculiares commentationes extent, quarum præcipua inter Protestantes, ut Pontificiorum taceamus, sunt CASPAR. ZIEGLERI *diff. prælimin.* ad LANCELLOTTI *instit. iur. canon.* Witeberg. 1669, postea separatim recusa Iena 1722, HVLDER. ab EYBEN *diff. de origine, progressu & usu iur. can. in terris protestantium*, Helmstadii 1672. quæ in eius *Opp. inserita* p. 203. IO. FRID. RHETII *diff. de auor. iur. canon. inter A. C. consortes*, IO. STRAVCHIE *diff. de origine, libris, nec non autoritate iuris canonici*, quæ prodiit cum aliis eiusdem *Exercitationibus canoniciis* Iena 1673. GERHARD van MASTRICHT *historia iur. ecclesiastica* Duisburgi 1676. 8tav. postea recusa cum præfatione CHR. THOMASII Hale. 1719. HENR. LINCKII *discursus præliminaris de iur. canon. origine & autoritate, præmisso tr. de iuribus templorum, & IVSTI HENNINGII BOEHMERI diff. de praxi iur. can. protestant.* Hale 1712. Hoc notandum est, quod si quis MASTRICHT, ZIEGLERI, & BOEHMERI laudatas commentationes possideat, reliquis facile carere possit, cum hi optime & soli dissimilantur.

dissime hanc rem pertractarint. Et quidem originem & progressus iuris canonici usque ad reformationem accuratius inuestigauit MASTRICHT ; illius vero iuris facta tempore reformationis specialius recentet ZIEGLERVS : Denique eiusdem iuris usum & praxin apud Protestantes optime demonstrauit BOEHMERVS. Evidem communiter statuunt, ius canonicum apud Protestantes non in genere valere, eiusque usum saltem ad certas regulas vel capita restringunt; Verum ius canonicum, sicut ante reformationem generaliter est receptum, ita quoque post reformationem apud Protestantes generaliter retentum esse, in quantum non manifeste repugnet rectae rationi & S. scripturæ, neque per constitutiones tam generales, quam speciales mutatum sit, probauit BOEHMERVS *cit. diff. adde*, si placet, nostrum *Schediasma de prorogat. iur. canon. præ iur. Iustin. §. 9 & 10.*

§. XXIII.

4.) *Leges Imperii ecclesiasticae*, scilicet Recessus Imperii, ecclesiasticae quatenus de negotiis sacris disponunt, & scil. trans- quidem præcipue transactio Passauensis aetio Pas- & pax Religiosa, itemque pax Westphala- saviensis, lica, quæ omnes tanquam leges funda- pax reli- mentales ecclesiarum Germaniæ, tam Pon- giosa & tifici-

IVRISPRUDENTIAE ECCLESIASTICÆ. 45

tificiis, quam Protestantibus communes Westphal.
sunt, & quæ in multis iuri canonico lica.
derogant.

Inter leges imperii ecclesiasticas Protestantibus & Pontificiis communes referenda est
transactio Passauensis anno 1552 inita, quæ extat in corpore recessuum, p. 535. quamque cum obseruationibus ediderunt IO. STRAV-
CHIVS & ADAMVS CORTREIVS : Et *Pax Religiosa ann. 1555.* quæ extat in corpore *Recessuum p. 543.* & cum obseruationibus edita a IO. LIMNAEO *l. V. c. 13. n. 16.* nec non cum singulari commentario ab ADAM.
CORTREIO. Ad huius historiam faciunt CHRISTOPH. LEHMANNI *acta pacis religio-*
*nis, HERM. CONRINGII commentatio de pace ciuili inter imperii ordines religione dissidentes conseruanda & IO. SCHILTERI *historia pacis religiose.* In primis hoc pertinet instrumentum pacis Westphalicae, quod varia negotia ecclesiastica determinat, & in multis capitibus iuri, tam Iustinianeo, quam canonico derogat, prout expresse cautum est art. XVII. §. 3. Contra hanc transactionem nullumne eius articulum, aut clausulam nulla
IVRA CANONICA vel CIVILIA communia vel specialia comitiorum decreta, priuilegia &c. nunquam allegentur, audiantur, aut admittantur. Quod & in specie patet ex art. V. ubi (1) protestantibus liberum religionis exer-*

exercitium est concessum, (2.) bona ecclesiastica iis relata sunt, qui eadem possederunt die 1. Ianuarii 1624, qui inde *annus decretorius* vocatur, (3.) reseruatum ecclesiasticum ad Protestantes quoque extensem, (4.) ius eligendi & postulandi ad Protestantes applicatum, (5.) iura capitulorum & canonicorum confirmata, (6.) iura papalia ratione annatarum, pallii, confirmationum, mensium papalium in A.C. capitulis abrogata, (7.) ius patronatus, visitationis ecclesiasticae &c. iuxta annum decretorium confirmatum, (8.) ius emigrandi subditis propter mutatam religionem concessum, (9.) ius reformati exercitium religionis principibus tributum, (10.) idem quoque ius ad nobiles & ciuitates immediatas extensem, (11.) deuotio domestica cuilibet permissa, (12.) sepulturæ honor vtriusque religionis consortibus indistincte concessus, (13.) jus diœcesanum & iurisdictio episcopalis in terris Protestantium suspensum usque ad compositionem amicabilem dissidii religionis, (i. e. ad Caledas græcas,) (14.) modestia in cencionando, disputando, scribendo contra dissentientes in religione præcepta &c. Et hæc pragmatica imperii sanctio non solum verbo tenus inserta recess. imper. ann. 1654 sed & per capitulationes Leopoldi, Iosiphi & Caroli VI, confirmata est. Ad huius pa-

cip

cis historiam facit TOBIAS PFANNERVS, in
eamque commentati sunt PHILIP. ANDR,
OLDENBURGER, AHASV. FRITSCHIUS, GO-
DOFR. FERDIN. de BVCKISCH, IAC. OTTO,
IO. DECKHERRVS, VLRIC. OBRECHTVS & in-
primis HENRICVS HENNIGES. Denique
huc certo respectu referri possunt *Concor-*
data Nationis Germanicae inter Fridericum
III. Imp. & Nicolaum V. Papam ann.
1448 conclusa, quæ licet plerisque statu-
bus iniuitis inita fuerint ; attamen vnu in-
valuerunt, & per *capitulationes Caroli V.* art.
16 *Iosephi* art. 18, *Caroli VI.* art. 14. con-
firmata sunt. Sed pertinent saltem ad
Pontificios , nam quoad Protestantes eis
est derogatum per *I. P.* art. *V.* §. 19 & art.
XVII. §. 3, quod & per *capitulationes c. l.*
est confirmatum. Interim ea inter Prote-
stantes locum quoque habere respectu ca-
pitulorum, circa quæ principes iuta papa-
lia exercent, contendunt SAM. STRYCK *diff.*
de iur. papali principum euangelicorum Hale
1684. & ill. PETR. a LVDWIG *diff. de jur. an-*
natar. presertim principum euangelicorum Ha-
le 1707. & in eius *opuscul. l. 3.* p. 885. Illa
quatuor capitibus constant, (1.) quod epi-
scopatus aliaque beneficia ecclesiastica in-
curia romana vacantia a pontifice sint con-
ferenda , (2.) quod electio episcopi fieri
debeat a Capitulo , ita tamen ut ordinatio
& confirmatio ad pontificem pertineat, (3.)
quod

quod alternativa mensium sit stabilita, (4.)
quod ius annatarum, seu capiendi redditus
primi anni ex episcopatibus papæ sit con-
cessum. Edita sunt ab AD. CORTREIO
cum obseruat. & a IO. SCHILTERO in fin.
instit. iur. canon. notisque illustrata, nec
non a GEORG. GVIL. LEIBNITIO Cod. iur.
gent. p. 1. n. 158. p. 396. add. quoque P. WA-
GENRECK Iesuita Dillingensis in *Exegeſi*
ſuper concordata germania, Autor des affaires
du tems to, 1. ANDR. VALLATERIVS consue-
tud. Metens. *ſuper Postulatione iuxta concor-*
data Germania, quæ prodiit Parisis, HEINR.
CANISIVS not. in *concord. nat. germ. Ingolſtad.*
1700. GEORG. BRANDEN. collect. *ſuper con-*
cordat. Sediſ apostol. & nat. german. Roma
1600. 4to. Inprimis vero commendari me-
retur HENR. LINCKII *commentatio de con-*
cord. nat. german. Altorf. primum edita, po-
ſtea *Iena* recusa 1718, vbi de eorum origi-
ne, contentis, autoritate & vſu inter Pon-
tificios, nec non Protestantium ab iis
exemptione accurate differit. Optandum
denique eſſet cum IO. SCHILTERO *Inſtit. iur.*
can. l. 1. tit. 2 §. 14, vt ex his recensitis
fontibus autoritate publica *codex iuriſ ec-*
clieſtici concinnaretur, atque ex actis pu-
blicis & ratione iuriſ illustraretur, ex quo
ſane multum utilitatis in ecclesiā pariter
ac in rem publicam redundaturum eſſet.

§. XXIV.

§. XXIV.

Leyes ecclesiasticae Protestantium speciales sunt ordinationes ecclesiasticae, quæ pro diuersitate prouinciarum & ecclesiarum variæ sunt.

Speciales
sunt ordi-
nationes
ecclesiasticæ.

Ius generale Protestantibus proprium non habemus, sed in singulis terris Protestantium sunt constitutiones speciales ecclesiarum, quæ vulgo dicuntur *Kirchen-Ordnungen*, *Kirchen-agenda*, quas quilibet princeps vi superioritatis territorialis, nec non nobiles immediati vi specialis privilegii, imo ex præscriptione immemoriali etiam ciuitates mediatæ condere possunt, quarum variæ, pro diuersitate prouinciarum, sensim prodierunt, quæ in pluribus conueniunt. Inter omnes autem eminent ordinationes Saxonicae, quarum variæ successiue prodierunt, quæ postea coniunctim editæ anno 1710 sub tit. *Corpus iuris ecclesiast. Churfürstlich-Sächsische Kirchen-Schul*, vnde auch andere dazu gehörige *Ordnungen*. Huc etiam referendæ Serenissimorum Ducum Saxoniæ ordinationes, ut IO. ERNESTI, ADOLPHI WILHELMII, IO. GEORGII & BERNARDI verbesserte *Kirchen-Ordnung auf Ibre Fürstl. Durchl. gesamte Fürstenhüme und Lande gerichtet anno 1664. it. Fürstl. Sachsen-Gothaische revidirte und vvieter*

D

1664

nō - aufgelegte Kirchen - Agenda de anno
1682. Cum Saxonis fere conuenit ordi-
natio Magdeburgensis Churfürstl. Bran-
denburgl. im Herzogthum Magdeburg pu-
blicite Kirchen - Ordnung de anno 1685.
Plures alias ordinationes ecclesiasticas re-
censet HERMANN HÄMMELMANNVS opere
genealog. hist. ab ERNESTO CASIMIRO
WASSERBACHIO 1712 edito p. 808. seqq.
& ill. BOEHMERVS iur. ecclesiast. l. I. tit. 2.
§.92. Recensionem ordinationum ecclesiasti-
carum Brunsvico-Guelpherbytarum a refor-
matione ad praesens tempus, peculiari sche-
diasmate anno 1714. exhibet celeb. IO.
ANDR. SCHMID. Nonnullas quoque ordi-
nationes ecclesiistarum cum sciographia qua-
dam cuiusdam noue inseruit AHASV. FRIT-
SCHIVS in iur. eccles. Iene 1673. edito p. 111.
De ordinationibus ecclesiasticis in genere
legi meretur viri celeberrimi & summe reue-
rendi ERNESTI SALOMON. CYPRIANI Bericht
von Kirchen - Ordnungen, Coburg 1713.
& laudati SCHMADII diff. de ordinat. ecclae-
siast. vbi recenset materias, de quibus illae
agere solent, add. quoque IO. PAVLI HEBEN-
STREITI, binas diff. de legibus ecclesiastic. Iene
1698. & de legibus ecclesiæ vniuersitate ibid. 1699.
qui tamen in eo notandus est, quod ius fe-
rendi leges ecclesiasticas tribuat etiam ec-
clesiæ; verum licet societates ecclesiasticas
tent alia collegia, ordinationes & institu-

ta permisso principis condere possint, hæ tamen non sunt leges, sed saltem viam consilii habent, vel obligant per modum pacti. Sane omnino conduceret optandumque esset cum ill. BOEHMERO &c. ut harmonia quædam iurium ecclesiasticorum in foris protestantium visitatorum ex variis ordinationibus ecclesiasticis compilaretur, vt uno quasi intuitu con- & disconuenientia horum iurium videri possit.

§. XXV.

Necesse autem est, vt intellectus, qui habitum huius iurisprudentiæ acquirere vult, cognitione aliorum iurium, in primitu^s 1) ex mis naturalis & ciuilis iam sit instructus, iurisprud. si quidem horum iurium scientiæ multum adiuuant iurisprudentiam ecclesiasticam.

Iurisprudentiæ ecclesiastice omnino iungenda est iurisprudentia diuina, seu naturalis, vel potius illi tanquam fundamentum præmittenda. Sicut enim ius diuinum omnium iurium fons est, scilicet, vt ex eo iura explicanda & supplenda sint; ita quoque iure ecclesiastico, tam ad eius interpretationem, quam illius defectum supplendum, ad ius naturæ recurrentum est. Et quidem in iurisprudentia ecclesiastica magis,

quam in aliis iurisprudentiae partibus, quo
magis illa multis absurdis principiis & con-
clusionibus, a pontificibus & clero romano
introducitis, ac incaute a nonnullis docto-
ribus protestantibus retentis scatet. Quia
de causa scita iuris canonici non promiscue
admittenda, sed ante omnia sub limam re-
tiae rationis reuocanda, & tum demum, si
huic non contraria deprehenduntur, reti-
nenda sunt. Quod iurisprudentiam ci-
vilem attinet, licet illa in explicandis &
decidendis causis ecclesiasticis non tam ne-
cessaria, quam utilis sit, scil. ad meliorem
intellectum terminorum iuridicorum, qui
etiam in iure ecclesiastico occurunt; atta-
men in explicando iure canonico, quia hoc,
in primis ius pontificium in specie sic dic-
tum, quod constat decretalibus pontifi-
cum, magna ex parte ex iuris ciuilis prin-
cipiis deriuatutum est, ut probauit in schedias-
mate de prerogat. iur. can. pre iur. insinian.
§. 11. p. 21, huius iuris peritia omnino ne-
cessaria est. Quod reliquias iurispruden-
tiae partes, scil. seudalis, publicae &c. pe-
stat, licet illae ad cognitionem iuris eccl-
esiastici non absolute necessariae sint; ad eius
tamen faciliorum intelligentiam & melio-
rem illustrationem non parum eas adiuua-
re, non negari potest.

§. XXVI.

§. XXVI.

Requirit quoque hæc iurisprudentia intellectum aliis scientiis, instructum, in-^{2) Theolo-}
primis Theologia & historia ecclesiastica, ria & an-
nec non notitia antiquitatum sacrarum, tiquitates
quaæ ad recte excolendum studium iuris ec-^{ecclæsiast.}
clesiastici non solum vtiles, sed & maxi-^{cæ.}
me necessariæ sunt.

Quemlibet christianum *Theologæ*, quatenus talia tractat, quæ ad acquirendam salu-
tem æternam scitu necessaria sunt, studere
sopportare, ex eo patet, quod quilibet non
solum de agendis, sed & credendis deo ra-
tiones reddere debeat, siquidem & hoc
nemo inter Protestantes facile inficias ibit,
nisi qui more papizanti laicis lectionem &
scrutationem S. Scripturæ denegare, &c
& contra fidem Carbonarium inculcare ve-
lit. Studiosum autem iuris ecclesiastici
Theologiam, quatenus etiam externa, scia.
quæ ad acquirendam beatitudinem non
necessaria requiruntur, tractat, addiscere
debere, ex eo liquet, quod plane impo-
sibile sit, Ictum sine cognitione rerum ec-
clesiasticarum leges ecclesiasticas vel ferre, vel
intelligere, vel interpretari, vel applica-
re posse: Nam sicut in aliis iurisprude-
tiae partibus v. g. in Iurisprudentia publi-
ca, feudalii, forestali &c. necesse est, ut quis

notitiam earum rerum , circa quas leges
sunt vel ferendæ , vel latæ explicandæ aut
applicandæ , habeat , earumque rationem
bene sciat ; ita quoque in iurisprudentia
ecclesiastica requiritur , ut quis rerum eccle-
siasticarum accuratam notitiam habeat : hanc
autem suppeditat Theologia . Exinde fa-
cile patet , quam necessario studium theo-
logicum in studio iuris ecclesiastici adhi-
bendum sit . Cui accedit , quod multa in
iure canonico occurrant , quæ flunt ex ta-
libus principiis , quæ nostræ confessioni
non conueniunt , & quæ a nostratis
Theologis reprobata sunt . Unde & ICtus
qui ius canonicum restat secundum usum
Protestantium interpretari & applicare
vult , illius dispositiones cum nostræ con-
fessionis regulis comparare , & si deprehen-
dit , eas his aduersari , reiiciendas , alias vero
retinendas eas esse docere debet . Hoc autem
minime præstari potest , nisi quis nostræ
confessionis fundamenta , & in quibus illa
a pontificiorum traditionibus recedunt , ac-
curate sciat . Non tamen ideo indignari
debent Theologi , quod afferam , ICtos ope-
ram dare debere studio theologico : sicut
enim supra § . VIII . dixi , studium iuris
canonici excolendum & Theologis esse ne-
cessarium , ita nec Theologi ICtis studium
Theologiae inuidebunt . Magnum sane
præiudicium est , statuere , quæd studium
Theo-

Theologiae Theologis, & studium iuris canonici ICtis saltem sit necessarium & utile ; cum tamen vtræque facultates hac in re se inuicem adiuuare, non vero impedire debeant. Hoc etiam bene obseruauit IO. GEORG. PERTSCHIVS in dissert. prælimin. von der Iuristen studio in der Theologie, quam præmisit tr. vom Recht der Beicht-Stühle und Kirchen Bans edito Hale 1721. 4to. Quod deinde historiam ecclesiasticam attinet, hæc tam ad accuratam rerum ecclesiasticarum notitiam, quam ad solidam iuris ecclesiastici prudentiam comparandam omnino necessaria & utilis est : Hæc enim ad verum intellectum iuris ecclesiastici deducit : hæc docet origines & occasiones institutorum ecclesiasticorum, quis fuerit status primitivæ ecclesiæ, quomodo postea mutatus, vel depravatus ; hæc ostendit, quid iuris, vel obseruantæ circa disciplinam ecclesiasticam, fuerit, quid in conciliis ea de re statutum, quomodo ius principum circa sacra vel opressum, vel defensum ; hæc rationes iuris ecclesiastici veras a spuriis distinguere monstrat, & quæ sunt infinita alia, quæ plenius deducit ill. BOEHMERVS diss. præliminar. de necessitate & utilitate studii historiae ecclesiastice in iuris ecclesiastici prudentia præfixa obseruat. select. ad PETRI de MARCA tr. de concordia sacerdotii & Imperii Lips. 1703. Iungi etiam potest IO. ANDR. BOSII oratio de

D 4 bise-

historia ecclesiastica nostro præsertim tempore
diligentius excolenda annexa eius introductio-
ni in notitiam scriptor. ecclesiast. & IO. CLERI-
CI oratio de præstantia & utilitate historia ec-
clesiastice Amstelodami 1712. recusa Iona 1722.
Ut autem studiosus iuris sciat, quos au-
tores in historia ecclesiastica consulere de-
beat, præcipuos recentiorum recensebimus.
Et quidem in duas classes diuidi possunt,
scil eorum, qui *compendia*, & qui *syste-
mata* scripserunt.

Ad primam classem, qui compendia
historiæ ecclesiasticæ ediderunt, (1) ex
Nostratis pertinet (a) *Historia ecclesiasti-
ca Gothana* autoribus potissimum SECKEN-
DORFIO & BOECLERO composita *Gothæ*
1660. 8tavo. (b) ADAM. RECHENBERGII
Summarium historie ecclesiast. Lips. 1700.
12mo (c) CHRISTOPH. MATTH. PFAFFII
institut. historia eccles. *Tubingæ* 1721, 8tavo,
qua in primis tam propter succinctum or-
dinem, quam propter selectum materiarum
se commendant. 2) ex Reformatis hoc
spectat AD. LAMPII *historia sacra ab origine*
mundi ad presentia tempora deducta, Ultra-
iecti 1721 8tavo. 3.) ex Pontificiis LVD. ELL.
DV PIN *Compendium histor. eccles.* quod ex
gallica in germanicam linguam versum &
editum Ratisb. 2. tom. 8tavo.

Ad alteram classem, qui *systemata* hi-
storiar. ecclesiasticæ scripserunt 1.) ex No-
strati

stratis quidem multi eiusmodi systemata publicarunt, ut CONRAD, HORNEIVS, IO. MICRAELIVS, IO. CONRAD, DANHAVERVS, HIERONYMVS KROMAYERVS, BALTHAS. BEBELIVS, CHRISTOPH. KORTHOLDVS & alii; sed si dicendum, quod res est, illi omnes, cum necessariis subsidiis fuerint destituti, minime satisfaciunt desideriis eorum, qui solidam & ampliorem historię ecclesiasticę cognitionem expetunt. (a) Omnim perfectissimum opus est *Centuriatorum Magdeburgensium*, quorum autores fuere MATH. FLACIVS ILLYRICVS, IO. WIGANDVS, MATHEVS IVDEX, BASILIVS FABER &c. (de qua collectione vid. IO. ANDR. SCHMIDII *Historia centuriatorum illorum Helmstadii 1700*) prodiit denuo cura LVDOVICI LVCHII Basiensis Professoris tribus voluminibus *Basilie 1624.* fol. Interim non negandum, multa in hoc opere reperiiri, quae emendari & suppleri possint & debeant, quod & non nulli viri doctissimi, ut IO. ANDR. SCHMIDIVS, SIMON, IO. ARNOLD & alii tentarunt. (b) Post hoc commendari meretur maxime studioso juris GODOFRED. ARNOLDI *Kirchen- und Ketzer-Historie 1700. 4. Vol. fol.* qui multos nauos & præjudicia optime detexit; ast cum cautione legendus est, cum sepe liberos spurios pro genuinis venditet, fabulas misceat & Theologia mystica faueat, Variis de eo iudicia collegit THOM. ITTING.

D 5

prefab.

*prefat. seleet. capit. histor. eccles. nec non
IO. CHR. COLERVS histor. Godof. Arnold.
Viteberg. 1718. & IDEM de corrupt. histor.
eccles. sect. 5. qui tamen nimis acerbe de
eo iudicat; sed media via incedendum est.
Interim optandum esset, ut næui in hoc
opere commissi emendarentur, & tunc sine
dubio opus utilissimum foret.*

(2) ex Reformatis hoc pertinet (a) IO.
HENRICI HOTTINGERI *historia ecclesiastica*
Tiguri 1651 9. tom. 8tav.

(b) TIMANNI GESSELII Medici Ultra-
iectini *historia sacra & ecclesiastica Traiecti*
1659, & 1667. publicata 4. tom. 4to.

(c) GEORGII HORNI *historia ecclesiastica*
usque ad seculum decimum. *Lugd. Batavor.*
1688. 2. tom. cum obseruationibus MELCH.
LEYDECKERI.

(d) FRIDERICI SPANHEMI *synopsis histo-*
ria ecclesiastica, Lugd. Batav. 1683. 2. tom.
& Francof. 1698 4to.

(e) IAC. BASNAGE *histoire de l' Eglise* 2.
tom. fol.

(f) SAM. BASNAGE *annal. politico. eccl-*
esiast. annorum 645 ab Augusto ad Photium
usque, in quibus res imperii ecclesiæque
obseruat, digniores subiiciuntur, errores-
que euelluntur Baronii *Roterdam. 1706,*
3. tom. fol.

3) ex Pontificiis hoc referendi (a) Car-
dinalis BARONII *annales ecclesiastic. Colonia*

nie 1624. 12 tom. fol. quod opus in primis scriptum ad oppositionem centuriatorum Magdeburgicorum, sed eius næuos & fraudes ex parte detexerunt ISAAC. CASAVBONVS, RICHARD. MONTACVTIVS, ABRAH. SCVLTETVS, ADAM. TRIBBECHOVIVS, IO. HENR. OTTIUS, CHRIST. KORTHOLDVS, DAVID. BLONDELLVS & alii.

(b) ANTON. PAGI *Critica historico-chronologica in Baronii annal. Parisiis 1689. Et Antwerp. 1705. 4. tom. fol.*

(c) ANTONII GODAVII Episcopi Grafsensis *historia eccles. gallico idiomate Parisie 1657. 4to.*

(d) NATAL. ALEXANDRI Dominicani Gallici *historia ecclesiast. Parisi. 1679. 8. tom. 8tar.*

(e) LENAIN de TILLEMONT *memoires pour servir à l'histoire ecclésiastique.*

(f) CLAVD. FLEVRY *histoire ecclésiastique.*

De aliis in primis antiquioribus scriptoribus historiæ ecclæsiasticæ, qui plura scire cupit, conferre potest IO ANDR. BOSII *introduction. in notitiam scriptorum ecclæsiasticorum.* quæ cum notis variorum additis eiusdem *opusculis ecclæsiasticis* auctior cura viri doctissimi IO. GEORG. WALCHII nouissime prodidit Iena 1623 8tar. GVIL. CAVEL *histor. scriptorum ecclæsiast. Genev. 1693.* CASPARI SAGITTARII *introduction. ad histor. ecclæsiastic. Iena 1694. 4to.* IO. ANDR. SCHMIDII *Sagittarii vita*

rianae introd. to. II. 1698. 4to. SEVER. GVALT.
SLVTERI propileum historie Christianae 1696.
4. & THOM. ITTIGII schediasma de autoribus,
qui de scriptoribus ecclesiasticis egerunt, com
not. CHRIST. LUDOVICI Lips. 1711. nec non des
LVD. ELLIES DV PIN Nouelle Bibliotheque
des auteurs ecclesiastiques Paris. 1692. & Amste
lod. 1715. 19 tom. 4to. Dolendum autem est,
quod nulla specialis historia ecclesiastica
Germaniae extet. Habemus quidem de
aliis regnis varios scriptores, qui eorum hi
storian ecclesiasticam in specie conscripse
runt & illustrarunt; Sic ad Anglicanam fa
ciunt GILBERT. BURNETVS, GEORG. HOR
NIVS, FRANCISC. MASONVS, RICHARD. SMI
THEVS, EDWARD. STILLINGFLEET, MICHAEL
ALFORDVS, IAC. VSSERIVS, HENR. WAR
THON. Belgicam scripserunt AEGID. BYCHE
RIVS, AEGID. GAZAEVS, AVB. MIRAEVS, MAR
TIN. SCHOOCKIVS &c. Ad Danicam perti
net IO. OLAVS SLANGENDORFIVS. De Gal
licana meriti sunt CLAVDIVS ROBERTVS,
FRANCISC. BOSQVETVS, CAROLVS COIN
TIVS, EDMUNDVS RICHERIVS, IO. LAVNO
IVS, PETR. PIPHOEVVS, PETR. PVTEANVS,
NICOL. RIGALTIVS, PETR. DE MARCA,
IO. BENIGNVS BOSSVET, STEPHAN. BALV
TIVS, IAC. LESCHASSERIVS &c. Helveti
cam illustravit HENR. MVRERVVS & RA
NVCCIVS COMES SCOTTVS. Hibernicam
ediderunt MICHAEL. CLERVS & FRANC.
POR-

IVRIS PRUDENTIAE ECCLESIASTICAE. 61

PORTEVS & THOM. MESSINGHAMVS : His-
panicam IO. DE MARIETA. Hungaricam
MELCH. INCHOFERVS. Ad Italicam referen-
dus est FERD. VGHELLVS, Prussicam con-
signauit CHRISTOPH. HARTKNOCHIVS. Sco-
ticam composuit THOM. DEMPSTERVS &
ANDR. BAYLLIVS. Svecicam concinna-
vit IO. BOAZIVS & CLAVDIVS OHRN-
HIALMIVS. Habemus quoque de par-
ticularibus Germaniae provinciis historias
ecclesiasticas, & quidem de Bauarica
MATTH. RADERVVM, Bremerensi ADAMVM BRE-
MENSEM, Brunsvicensi PHILIP. IVLIVM
RETHMEYERVVM, Fuldensi CHRISTOPH BRO-
WERVM, Hennebergensi IO. MICH. WEIN-
RICH, Magdeburgensi ALBERT CRANZIVM &
CASP. SAGITTARIVM, Moguntiaca NICOL.
SERARIVM, Megapolitana GEORG. FRID.
STIEBERVM, Paderbornensi NICOL. SCHÄ-
TENIVM & FERDINAND. FVRSTENBERGIVM,
Palatina HENR. ALTINGIVM & BVRCARD.
GOTTHELF. STRUVIVM, Pomeranica DA-
NIEL. CRAMERVVM, Salisburgensi WIGV-
LEVUM HVNDIVM & IOS. MEZGERVM,
Saxonica inferiori HERMANN. HAMELMAN-
NVM, & CASPAR. CALVOERIVM, Saxoni-
ca - Superiori DAVID. CHYTRAEVUM, HENR.
HOPFNERVM, Silesiaca GOTTFR. FERDI-
NANDVM BYCKISCHIVM, Sueuica FRANC.
PETRVM & IO. VLRIC. PREGIZERVM, Thu-
ringiaca CASP. SAGITTARIVM, Treuirensi

CHRIS.

CHRISTOH. BROWERVM & IAC. MASENIVM,
Westphalica HERM, HAMELMANNVM &
NICOL. SCHATENIVM. Imo sunt, qui certarum
vrbium Germaniae historiam eccl-
esiasticam consignarunt, vt de Argento-
ratensi BALTH. BEBELIUS & OSIAS SCHA-
DAEVS, de Augustana SIGISMUND. GROS-
SENBROT, Colonensi ERH. WINSEMIVS,
Hamburgensi STEPH. KEMPIVS, Hamelen-
si IO. de POLDA, Monasterensi HENR.
BÖRPIVS & CONR. HERESBACHIVS, No-
rimbergensi CHRIST. ERDEMANNVS &
GALLVS KORNIVS &c.

Ast totius Germaniae historia ecclesias-
tifica, ab initio christianæ religionis in Ger-
mania ad hæc usque tempora continuata,
quantum in meam notitiam peruenit, non-
dum extat. Nam IO. HENR. VRSINI *tr. de*
ecclesiæ germanicarum origine & progres-
su Noribergæ 1664. 8tau. editus nimis bre-
uis & insufficiens est, & saltem ad tem-
pora Caroli M. progreditur. Evidem
CASP. BRVSCHIVS scripsit librum singula-
rem de archi-episcopatibus & episcopat. Ger-
mania Noribergæ 1649; sed catalogum epi-
scopatum, & qui eos administrarunt, epi-
scoporum scil. saltem exhibit. Scripsit
quoque CAROLVS CARAFA episcopus Auer-
fanus commentaria de *Germania sacra re-*
staurata Colon. 1639. 8tau. verum ibi saltem
tractat historiam a tempore reformationis
usque

usque ad tempora motuum Bohemicorum,
 & quidem ex stilo curiae romanæ, cum fue-
 rit homo papalis. Meliori iure hoc refe-
 rendus IO. SCHILTERI tr. de libertate ee-
 clesiarum Germania Iena 1683. 410, in quo hi-
 storiam ecclesiarum a prima origine per-
 tractauit, sed non omnes materias ad histo-
 riæ ecclesiasticam pertinentes attigit,
 magis in enarrandis controvërsiis impera-
 torum cum Pontificibus habitis occupatus.
 Huic addendus GABRIEL. BVCELINVS, qui
 in Germania Topo-chrono - Stemmato - Gra-
 phica sacra & profana Francfurt. ad Mo-
 num 1699. fol. multa ad historiam germa-
 niæ ecclesiasticam facientia inseruit, sed
 non omnia exhausit. Qua de causa omni-
 no operæ pretium futurum esset, si quis
 generalem historiam ecclesiasticam Germa-
 niæ ex genuinis fontibus conscribere ad-
 gredetur. Huic rei inferuire potest IO.
 CHRISTOPH. LVHNIGII spicilegium ecclesiast-
 icæ teutschen Reichs - Archivs seu Germania
 sacra diplomatica Lips. 1716. 3. Vol. cum 3
 continuat. fol. Coepit quoque eiusmodi
 collectiones & subsidia ad hunc finem ma-
 xime inservientia suppeditare BERNARD.
 FEZIUS Benedictinus & Bibliothecarius
 Mellicensis in thesauro anecdotorum nouissi-
 mo, seu veterum monumentorum præcipue ec-
 clesiasticorum collectione Augustæ Vindelicor.
 1721. 3. tom. fol. Sic & ill. Dn. a LUDWIG,

pro

promisit Germaniam sacram edere, quam magno desiderio expectamus. Interim commendanda est GODEFRID. HECHTI *Germania sacra & literata*, siue de origine ac progressu rei sacræ atque politioris in Germania doctrinæ ex ævo medio commentarii, quibus insigniores scriptores huius rei illustrantur Vtcebergæ 1717. 8. Optandum quoque esset, ut historia ecclesiastica in usum iuris ecclesiastici, seu illorum, qui ei operam dant, in specie accommodata componeretur. Nam licet studium historiæ ecclesiasticæ & Theologis & ICtis sit scitu necessarium; utriusque tamen diuersis est scopus: illi enim magis solliciti esse debent de accuratori notitia scriptorum ecclesiasticorum cuiuscunque seculi, historia symbolorum & fatis dogmatum, recensione heresium & schismatum, actis sanctorum & martyrum, historia conuersiorum &c. E contra hi magis inquirere debent in historiam conciliorum, episcoporum, pontificum, eorum canonum & decretalium, item disciplinæ ecclesiasticæ tam ceremonialis, quam hierarchicæ. Quod sane hactenus nemo, quantum mihi cognitum est, ex professo præstitit, cum plerique saltem in explicandis originibus rerum ecclesiasticarum occupati fuerunt. Tale autem opus moliri doctissimum IO. GEORG. FERTSCHIVM, qui variis scriptis iuris ecclesiastici

siastici inclaruit, relatum habeo. Interim commendandæ sunt illi. IUST. HENNINGI BOEHMERI *Origines præcipuarum materiarum iuris ecclesiastici* ex ultima antiquitate evolute & ad studium iuris canonici accommodatae, quæ Schiltro suo *illustrato*, seu emendationibus & additamentis ad *Schiltieri instit.* Hale secunda vice 1720. accesserunt: Et celeb. CHR. MATTH. PFAFFII *origines iur. eccl. Tub. 1719. 410.* simili modo conscriptæ, quæ huic rei in primis inserviunt; Ad di quoque possunt laudati BOEHMERI *dissertationes iuris ecclesiastici antiqui ad Plinium secundum & Tertullianum Lipsie 1711. 8vo.* in quibus genuinas origines præcipuarum materiarum iuris ecclesiastici demonstravit. Et quidem occasione epistolæ Plinii de rebus Christianorum ad Traianum, I diss. agit de statu Christianorum die, diss. II. de antelucanis Christianorum cœtibus, III. de confœderata Christianorum disciplina, IV. de coitionibus Christianorum ad capiendum cibum, V. de Christianorum cœtibus in agris & vicis. Porro occasione eorum, quæ Tertullianus in libris de Christianis sui temporis memorat, scripsit diss. I. de differentia inter ordinem ecclesiasticum & plebem, seu inter clericos & laicos, II. de confessu ordinis ecclesiastici & de veteris ecclesiæ statu, III. de iure laicorum sacerdotali, IV. de iure dandi baptismum. Sic &

E

LUD.

JUD. ELLIES DU PIN *dissertationes de antiquitate ecclesiasticae disciplina* edidit, quæ primum Parisiis 1686.4. postea apud Batavoros 1691.4. prodierunt, in quibus autor varia iuris ecclesiastici capita ex historia & antiquitatibus ecclesiasticis eruditè dedit.

Huc denique referri debet *notitia antiquitatum ecclesiasticarum*, quæ licet sub historia ecclesiastica, in sensu generali sumta, comprehendì possit, attamen ab ea, specialiter accepta, distincta est, & peculiarem scientiam conficit, quæ in addiscendo & explicando iure ecclesiastico maxime necessaria & utilis est, eamque diversis scriptis excoluerunt IO. BAPTISTA FERRARIUS, FRANC. BERNARDUS FERRARIUS, STEPHANUS LE MOINE, RICHARD. MONTACUTIUS, HERBERT. THORNDICEUS, IO. DALAEUS, DAVID BLONDELUS, CLAUDIO Salmasius, IO. BARTHOLD. NIEMEYER, IOACH. HILDEBRAND, IO. MICRAELIUS, BALTH. BEBELIUS, IO. CASPAR SUICERUS, TOB. PFANNERUS, EDMUND. MARTENE, IENCK. THOMASIUS, PHIL. IACOB. SKLERANDER, alias HARTMANNUS & plures alii. Collectionem variorum scriptorum, qui tam in genere, quam in specie de antiquitatibus ecclesiasticis scripserunt, IO. ALBERT. FABRICIUS publici iuris facere voluit, qui etiam illius delineationem, quam antea VOGTHI *Thysiaferiologiae* præmisit, auctiorem postea inseruit Bibliogr. ann. 1712.

uig. c. 4. n. II. p. III. Talemque celeberrimus noster BVDDEUS sub titulo: *Thesaurus antiquitatum ecclesiasticarum XII. volum.* edere iam meditatur, unde non parum utilitatis non solum in theologiam, sed & iurisprudentiam ecclesiasticam redundatum, facile patet.

§. XXVII.

Huic Iurisprudentiæ adiungenda quo-
que est prudentia politica ecclesiastica, dentia po-
qua est prudentia leges ecclesiasticas iux-
ta utilitatem ecclesiæ & reipublicæ tam fe-
rendi & emendandi, quam interpretandi
& applicandi saluis regulis iustitiæ.

Prudentia politica docet *utilitatem* procurare actionibus hominum licitis, salvis legibus & iustitia; à qua differt versutia seu falsa prudentia, quæ utilitatem intendit quovis modo & per nefas, seu cum lassione aliorum. Ex quo patet prudentiæ veræ *politice* adjungendam quoque, vel potius præsupponendam esse prudentiam *iuris*: Nam in omnibus actionibus instituendis primum respiciendum est, an illa actio sit justa, & postea demum, an illa sit utilis. Illud docet prudentia *iuris*, hoc *politica*. Si-
c ut autem prudentia *iuris* est duplex, vel secularis, quæ occupata est circa negotia pro-
fana, vel ecclesiastica, quæ versatur circa ne-

gotia sacra : & utraque est vel legislatoria, vel judiciaria, de qua distinctione §. IV. egimus ; ita quoque hæc divisio ad prudentiam politicam applicari potest, nam hæc quoque non solum in rebus secularibus, sed & in ecclesiasticis, & quidem tam in legibus ferendis, quam applicandis adhiberi debet.

Et quidem quod prudentiam *legislatoriæ* attinet, exempli loco sit, si quæstio occurrat, an consistoria, seu iudicia, in quibus cause ecclesiasticae separatim tractantur, erigenda, & an in iis clerici adhibendi sint: tunc hæc quæstio secundum regulas prudentiæ politicæ examinanda & decidenda est. Quemadmodum enim consistoria, & quod clerici in iis sint assessores, non sunt auctoritate necessitatis, nisi legibus publicis vel pactis cum statibus provincialibus aliud cautum est, ut docet IO. BRUNNEMANNUS *iur. eccl. p. 3. c. 1. §. 3. & 5.* & IO. FRANC. BUDDEUS *theolog. moral. P. 2. c. 3. Sect. 7. §. 33.* add. si placet, nostrum tract. de criminis coniurat. *Spirit. c. 8 §. 2. p. 407,* sed mera liber-
tatis, & quandoque expedit, quandoque non; ita hac in re ad regulas expedientiæ re-
spiciendum est. Unde videmus, quod in multis civitatibus, in primis imperii immediatis, nulla dentur separata iudicia ecclesiastica, vel saltem nulli theologi iis intersint, quia vel iudicia secularia rebus ecclesiasticis expediendis sufficiunt, vel ratio status ad-
sit,

fit, ne forte propter abusum autoritatis clericalis hoc in damnum salutis publicæ vergat; si quidem plebs incauta sœpe plus vatibus, quam ducibus adhærere solet. Econtra, in illis civitatibus vel rebus publicis, ubi iudicia secularia propter multitudinem negotiorum res ecclesiasticas simul expedire non valent, & ubi tale periculum non metuendum est, recte consistoria erigi, & in iis Theologici assessores constitui poslunt. Idem quoque dicendum est, si quaestio occurrit de adiaphoris seu ceremoniis ecclesiasticis vel introducendis, vel mutandis & abolendis. Licet enim tales ritus in se spectati sint indifferentes, & ad necessariam ecclesiæ subsistentiam non faciant; attamen cum pro diversitate & ratione status ecclesiæ & reipublicæ tales ritus, vel propter eorum rectum usum profint, vel propter eorum abusum & accendentem superstitionem noceant; princeps utique in hisce adornandis vel mutandis regulas prudentiae adhibere, & ad experimentiam ecclesiæ & reipublicæ respicere debet.

Eadem prudentia politica requiritur in prudentia iudicaria, seu leges ecclesiasticas interpretandi & applicandi ad causas ecclesiasticas. Quod maxime obtinet in applicatione iuris canonici, cum enim multæ dispositiones iuris canonici inveniantur, quæ utilitati nostræ ecclesiæ & reipublicæ con-

trariantur, tales decisiones caute admittendæ, & cum debita prudentia ad nostrum statutum applicandæ, ac si reperiantur huius saluti adversæ, omnino reificiendæ sunt. Exemplum est in iure parochiali, ubi tradita iuris canonici non indistincte ad usum ecclesiæ sum protestantium applicanda sunt, sed cum temperamento prudentiæ ecclesiasticæ, & ad salutem ecclesiæ & reipublicæ in primis respiciendum est. Idem quoque obtinet in causis matrimonialibus, cum enim de his multæ conclusiones erroneæ in iure canonico reperiantur, quæ fluunt ex falso & a non stratis merito rejecto principio, quod matrimonium sit sacramentum, hæ sapienter examinandæ, & tunc demum, si utilitati reipublicæ non contrariantur, admittendæ sunt. Qua de causa talis prudentia politica ecclesiastica in explicatione quarumlibet materiarum iuris ecclesiastici omnino adhiberi debet; ita tamen ut in qualibet materia bene discernatur, quid iuris, & quid expedientiæ sit. Hinc omnino opera pretium esset, ut talis prudentia ecclesiastica politica in usum iuris ecclesiastici conscriberetur, in qua ilius regulæ ex principiis sanæ rationis & Scripturæ deducerentur, exemplis ex historia ecclesiastica omnium seculorum petitis, & demonstratis, in quibus vel peccatum, vel recte actum sit, illustrarentur, & ad singula iuris ecclesiastici capita applicarentur, quod ipsum

ipsum studio iuris ecclesiastici insigne emolumen-
tum allaturum foret. Evidem scri-
psit NICOL. VEDELIAS de *prudentia veteris
ecclesie*, Amstelod. 1623. 8. & CONRAD. TIBUR-
TIUS RANGO de *prudentia circa errores &
hereses ecclesiastico-politica*, Stettini 1699. 12.
verum non tractant prudentiam circa sacra-
in genere, sed in specie circa hereses, imo il-
lam ex falsis principiis sepe explicant. Ma-
iori iure commendari meretur VITI LUDO-
VICI SECKENDORFI libellus sub tit. *Chris-
tian-Staat* Lips. 1706. & IO. FABRICII Theo-
logi Helmstadiensis diff. de *prudentia eccl-
esiastica*, quæ extat in eius *amanitatem theolog-*
p. 114. qui ad hanc rem illustrandam facere
possunt, licet minime eam exhaustiant. Huc
etiam referri possunt GUIL. ZEPPERI *Ro-
litia ecclesiastica* tertium edita Herbornia
1714. & GIBERTI VOETII *politica ecclesia-
stica* Amstelod. 1663, quid de iis sentiendum
sit, vid. infra §. XXX.

§. XXVIII.

Ex hac tenus dictis facile patet differen- *Differen-*
tia iuris prudentiae ecclesiasticae a reliquis *tia iuris-*
iurisprudentiae speciebus; Differunt e- *pr. eccl-*
nim 1) ratione principiorum, 2) obiecti, & *ab aliis iurispr. spe-*
3) finis. *ciebus.*

Dicitur iurisprudentia ecclesiastica a reliquis
1) in *principiis*. Evidem etiam reliqua

E 4 iu.

iurisprudentiæ species, & in primis iurisprudentia civilis, sua principia habent ex iure divino, nec non iustinianeo, canonico, legibus imperii cum generalibus, tum provinciis, ut iurisprudentia ecclesiastica; sed sicut hæc leges partim concernunt profana, partim sacra, ita quoque utriusque iurisprudentiæ principia manent diversa. (2) Differunt potissimum in obiecto, iurisprudentia ecclesiastica tractat res sacras, ceteræ vero iurisprudentiæ species pro obiecto habent res civiles, seu seculares. Et (3) in fine: Iurisprudentiæ secularis finis est solum salus reipublicæ, iurisprudentiæ vero ecclesiasticiæ præter beatitudinem reipublicæ finis quoque est salus ecclesiæ scil. externa, ut omnia ordine & decenter in ecclesia peragantur.

§. XXIX.

Eius differ. Differt quoque iurisprudentia ecclesiastica a Theologia 1) in principiis, 2) Theologia, obiecto speciali, 3) modo considerandi & 4.) fine.

Iurisprudentiæ ecclesiasticae & Theologiæ differentia consistit (1) ratione principiorum: Illius principia sunt leges ecclesiasticae, huius vero S. Scriptura & libri symbolici. (2) ratione obiecti specialis, illa tractat saltem externa ecclesiæ, hæc vero etiam interna & spi-

ritualia seu dogmata fidei. (3) in modo considerandi : Ultraque quidem considerat res sacras, sed diverso modo, illa sub ratione iusti, hæc sub ratione credendorum. (4) ratione finis : Illius scopus est salus civium exter-
na, tam intuitu reipublicæ, quam ecclæ-
siæ; huius autem finis est felicitas & beatitudine hominum æterna, licet & istius finis se-
cundarius quoque sit salus reipublicæ exter-
na I. Timoth. II. 2.

Cum vero Iurisprudentia ecclesiastica & Theologia ratione obiecti generalis conve-
niant, quod utraque scil. tractet res sacras,
Canonistæ varia similia huius convenientiæ
habent; Sic IO. PAUL. LANCELLOTTUS de
comparat, utriusque iuris dicit, quod Canonistæ
quasi alter Moses, nunc ascendat in mo-
tem cum Theologo, & ibi domini & viden-
tis dei gloriam compleetur, nunc cum iuri-
sta descendat in castra humana, tractans ne-
cessitatibus populi providere arg. e. nisi 10.
circa fin. X. de renunciat. Et HOSTIENSIS
in proœz. summ. n. 12. in fin. comparat Ca-
nonistam mulo, qui partem capiat ab equo,
id est Theologo, partim ab asino, id est Legi-
sta. Quæ similia quam absurdæ sint, quili-
bet facile videt.

§. XXX.

Scriptores iuris ecclesiastici, vel iuris- Scriptores
prudentiæ ecclesiasticæ systematicæ sum- iurispræ-
taæ clofias.

in duas classes di- tæ ad duas classes referri possunt, quod alii compendia, alii systemata scripserint, & uiduntur. triusque vel Pontificii vel Protestantes sint.

Scriptores iuris ecclesiastici sunt duplicitis generis, alii qui *compendia*, alii qui *systemata* ediderunt. Ad primam classem 1) ex Pontificiis referendi sunt.

a) IO. PAULI LANCELLOTTI ICti Perusini *institutiones iuris canonici*, in quas multi ex Pontificiis glossas suas scripserunt, quæ coniunctim Venetiis editæ sunt, sed parum sani in se continent: His longe præferendæ sunt CASPAR. ZIEGLERI *Notæ ex ipsis antiquatum ecclesiasticarum fontibus deducetæ*, quæ Vitebergæ 1699. 4. prodierunt. Eadem cum observationibus aliorum suisque propriis, præcipue arcanæ dominationis papalis, episcopalis & clericalis in ecclesia romana detegentibus, denuo edidit Ill. CHR. THOMASIUS 4. tom. Hala 1716. & 17. 4. Sic & Ill. BERGERUS *notas in Lancellotum* scripsit, quæ tamen admodum breves sunt.

(b) M. ANTON. CUCCI ICti Ticinensis *institut. iur. canon.* primum 1564. postea cum scholiis & animadversionibus SAMUEL. MARESII Theologi Groeningensis *Græninge* 1660. 4. editæ, quæ tales applausum non invenerunt, licet re ipsa propter brevitatem & propter maius, quod spirant, iudicij lumen illis præferendæ sint.

(c) VA

(c) VALERII ANDR. DESELII ICti Lo-
vaniensis *Erotemata iuris canonici* quarta vi-
ce *Iena 1709.* 8, prodierunt iuxta ordinem li-
brorum decretalium digesta sunt, quæ licet,
tam ob perspicuitatem, quam ob succinctam
rerum tractationem estimanda sint; atta-
men cum materiæ ex antiquitatibus eccl-
esiasticis non sint deductæ, parum ad solidam
iuris canonici cognitionem & usum prote-
stantium faciunt. Interim B. avus GEORG.
ADAM. STRUVIUS animadversionibus adie-
ctis hinc inde usum consistoriorum nostro-
rum supplevit, quod etiam fecit *Perill.* L. B.
de LYNCKER in *analyt.* ad hæc *erotemata.*
Iena 1691. 4, editis.

(d) FRANC. de ROYE ICti Andegaven-
sis *institutiones iur. canon. Parisis 1681.12.* Lip-
siae 1684. postea *ibid. 1699.* cum notis CASP.
ZIEGLERI, quæ eas in multis illustrant emen-
dantque, & ita altero tanto auctiores red-
dunt, & novissime ibidem cum præfatione
CHRIST. GODF. HOFFMANNI prodierunt. Ad
ordinem institutionum iustin. tribus libris
de personis, rebus & actionibus compositæ,
& potissimum ad usum ecclesiistarum gallica-
rum directæ sunt, ideo tamen commendari
merentur, quod in illis materiæ iuris cano-
nicæ ex ultimis antiquitatibus ecclesiasticis
illustratæ sint.

(e) CLAUDII FLEURY hodierni Gallia-
rum regis præceptoris & confessionarii *insti-*
tution. an droit ecclésiastique primum *Parisis*

1688.

1688. postea *Bruxell. 1722. 2. tom. 8.* autor materias ecclesiasticas in tres partes, scil. de personis, rebus & actionibus divisit, easque ex principiis iuris canonici antiqui & historia ecclesiastica deduxit, nec non ad statum ecclesiarum gallicarum applicavit & in fine succinctam delineationem libertatum ecclesiarum gallicarum praे aliis ecclesiis adiecit; ideo autem aliis prærendus est, quod ipse multos abusus romanæ ecclesia annotaverit.

(2) Ex reformatis huc referendus est (a) ARNOLDUS CORVINUS a BELDEREN, qui cum adhuc sacris reformatorum esset additus, licet postea ad Pontificiorum sacra transgressus, anno 1648. scripsit *ius canonicum* per aphorismos & iuxta methodum Institutionum Iustiniani, quod ideo aestimandum est, quod autor materias iuris canonici non solum ex decretalibus, sed & decretis aliisque huius iuris partibus perspicue & distincte explicaverit; unde & curante SAM. STRYCKIO cum eius prefatione recusum Hale 1704. 8. & postea cum notis IUSTI HENNINGII BOEHMERI Hale 1717. 8.

(b) ANTONIUS MATTHAEI ICtus Lugdunensis edidit *manuductionem ad ius canonicum* *Lugduni Batavorum 1676. 8.* quæ licet brevis sit, multa tamen eruditione referta est, variaeque antiquitates ibi occurunt, sed ad usum consistoriorum nihil facit.

(3) Ex

(3) Ex Nostrisibus optimus est IO. SCHILTERUS ICtus Ienensis, cuius *institutiones iuris canonici* omnibus aliis præferendæ sunt, quod materias iuris ecclesiastici non solum ex fontibus iuris canonici, & antiquitatibus ecclesiasticis explicaverit, sed & potissimum ad usum Protestantium direxerit, easque iusta & concinna methodo tractaverit, prodierunt sexta vice Iene 1619. 8. His iungi possunt IUSTI HENNINGI BOEHMERI *Schilterus illustratus & continuatus Hale 1712.* & CASPAR. HORNI *additamenta in has institutiones.* Utrorumque observationes ad illustrandum & explicandum autorem commendandæ sunt.

(b) Scriptis quidem IOACH. STEPHANI ICtus Gryphiswaldensis *institutiones iuris canonici*, 1604. 8. sed causas ecclesiasticas ex solis principiis iuris canonici, omissis antiquitatibus ecclesiasticis explicat, & saepius tradita iuris canonici indistincte ad statuta protestantium applicat, unde eum saepius castigavit CASP. ZIEGLER in notis adiectis Lips. 1698.

(c) Extat quoque CAROL. ANDR. ARTNERI a sacris Pontificiorum ad nostra controversi *nucleus iuris canonici* Coloniae (vel posteriori Hale) 1700. 8. ubi ius canonicum ad sepiem decretalium tractavit, & ad calcem usum Protestantium cuiuslibet tituli adiecit; sed levis est momenti, & pleraque iuris

POEM

pontificii ex Vallensi, iuris autem ecclesiastici Protestantium ex Carpzovio & Brunnemanno exscripsit. Et cum ea de causa non magnum applausum inveniret, mutato saltem titulo, scilicet: ARTNERI insti-
tut. iur. canon. ad sua principia revocati &
usu moderno ad iura Protestantium accommo-
dato illustrati iterum Hale 1715. cum IUSTI
HENNINGI BOEHMERI diff. prælimin. de ori-
gine & apparatu iuris Canonici prodiit.

(d) GERHARD GOTTLIEB TITIUS ICtus Lipsiensis edidit *Probe des teutschen geistlichen Rechts* Lipsia secunda vice 1709. 8. hic ius ecclesiasticum methodo arbitraria, negligens principiis iuris pontificii, & antiquitatibus ecclesiasticis, unice ex principiis iuris naturæ & Scriptorum Protestantium explicavit; multas tamen falsas hypotheses, quæ in foris ecclesiasticis Protestantium ex papatu supersunt, cordate detexit.

(e) IAC. GABRIEL. WOLFIUS ICtus Halensis scriptis *institutiones iurisprudentie ecclesiastice in usum tractatus Brunnemanni de iure ecclesiastico adornatae* Lipsia 1713. in quibus non solum potiora laudati tractatus momenta in compendium sunt reducta, sed & interiectis utilibus annotationibus illustrata, & aucta: munera simul, ut & negotiorum ecclesiasticorum origines indicatae: abusus notatæ & fines denique tam imperium sacerdotii, in negotiis ecclesiasticis, secundum principia genuina directi.

Ad

Ad alteram classem pertinent illi, qui *Systēma iuris ecclesiastici* scriperunt, quorum 1) ex Pontificiis permulti inveniuntur, & præcipui eorum sunt ANTON. AUGUSTINUS, IO. STRENIUS, FRANC. ZYPAEUS, ANDREAS VALLENSIS, PAVLVS LAYMANNUS &c.

Præ omnibus autem estimandus est (a) LUDOV. ENGEL Procancellarius Academiæ Salisburgensis, qui edidit *collegium iuris canonici universi ordine decretalium* septima vice Salisburgi 1712. 4. recusum, quod tam propter perspicuitatem, quam propter solidam decisionem quæstionum canonicarum, nec non in praxi autoritatem sese satis commendat.

(b) Eandem laudem meretur zEGERI BERNARDI van ESPEN ICtI Lovaniensis *ius ecclesiasticum universum* hodiernæ discipline, præser-
tim Belgij, Gallia, Germania & vicinarum pro-
vinciarum accommodatum, cum aliis eius o-
peribus Col. 1715. fol. prodiit. Autor missis
materiis civilibus, quæ in iure canonico oc-
currunt, saltē causas ecclesiasticas tractat,
& ex canonibus conciliorum pontificum
que rescriptis deducit, nec non variis præiu-
dicis illustrat, hinc ad addiscendum ius Pon-
tificium hodiernum valde utilis, & ideo
aliis Pontificiis præferendus est, quia ubi-
que ad fontes recurrit, & multos nævios suæ
ecclesiæ cordate aperit.

(c) Huc

(c) Huc referri quoque potest LUDOVICI THOMASSINI, presbyteri oratorii gallicani, *Vetus & nova ecclesiae disciplina circa beneficia & beneficiatos* Paris. 1688. & Lugduni 1706. 3. Vol. fol. edita. Hoc opus, quod ex optimis fontibus iuris canonici & antiquitatibus ecclesiasticis desumtum est, non solum materiam beneficiorum, ut titulus indicat, sed & universum fere ius ecclesiasticum exhaustum, ut adeo in explicandis materiis iuris ecclesiastici insignem utilitatem praestet.

Illos scriptores iuris canonici, qui non per modum systematis, sed commentarii ad decretales & reliquas corporis iuris canonici partes scripsierunt, quales sunt GONZALEZ TELLEZ, AUGUST. BARBOSA, HENRIC. WAGNERECK, ERNRIC. PIRRHING, IAN. A COSTA, ANTON. DADINVS ALTESERRA & ceteri, breuitatis causa libenter hic prætermitto.

(2) Ex reformatis hoc referenda est GIBERT. VOETII Theologi Ultraiectini *Politica eccles.* III. Partibus, quæ tamen IV. Volumina conficiunt, constans, quæ *Amstelodam.* 1663. & seqq. annis prodiit: in qua autor pleraque iuris ecclesiastici capita ex antiquitatibus erudite eruit; sed licet hic autor obvariam lectionem, quæ ibi reperitur commendandus sit, attamen cum magna circumspectione legendus & excerptus est, quia multas doctrinas papizantes habet, quod bene demonstravit LUDOV. MOLINAEVS

NAEVVS sub nomine ficto LVDIOMAEVS
COLEVINVS tr. *Papa Ultraiectinus seu Myſterium iniquitatis a Gisberto Voevio reductum*
Londini 1688. 4.

(3.) Ex Nostratibus primum inter systemata iuris ecclesiastici locum occupat (a) BENEDICTI CARPOVII ICti Lipsiensis *iuris prudentia ecclesiastica seu consistorialis Lipsiae 1708. fol.* in qua autor quæſtiones tam de personis, quam de rebus ecclesiasticis in præxi Protestantium occurrentes ex principiis iuris canonici & ordinationibus ecclesiasticis in primis Saxonice explicat, præiudicis que Consistoriorum Saxonorum confimat: Cuius maximus & communis in consistoriis Protestantium etiam extra Saxoniam hodie solet esse usus; licet non negandum sit, multa ibi occurere, quæ accuratius examen desiderant, quod autor tam ob rerum tunc temporis statum, quam quod alia negotiis distractus fuerit, præstare non potuit. In eius supplementum edidit ANDREAS BEYERVS *additiones Dresdenae 1718. fol.*

(b) Huic iungendus est IO. BRUNNEI MANNI ICti Viadrini tractatus posthumus de iure ecclesiastico, multis supplementis adiunctus a SAM. STRYCKIO ex edit. nova Wittenbergae 1721. 4. in quo auctor quicquid ad statum ecclesiarum euangelicarum & vsuum consistoriorum facit, egregie explicat, multosque scuulos & abusus tam in ecclesiis,

quam Consistoriis Protestantium adhuc hodie occurrentes, cordate aperit, & saepius CARPOVIVM castigat.

(c) Huc quoque referendus est HENRICI LINCII ICti primum Ienensis, postea Altoriensis *commentarius in decretales Noribergae 1697. 4.* posthac in quo autor materias iuris canonici secundum seriem titulorum decretalium perspicue explicat, & in quantum ius ecclesiasticum Protestantium cum iure pontificio convenit, vel ab eo discrepat, ubique demonstrat.

(d) Post hunc commendanda est FRID. GOTTLIEB STRVVII ICti Ienensis *introduction ad prae-
xim juris canonici len. 1715. 4.* in duas partes distributa. In priori autor controversias iuris canonici iuxta ordinem decretalium diligenter evolut, easque conciliatis textibus obstantibus solide decidit: in posteriori autem multos singulares casus iuris ecclesiastici proponit, eosque responsis variorum dicasteriorum propriisque observationibus illustrat.

(e) Huc pertinet etiam IVLII BERNHARD de ROHR *Sollständiges Ober-Sachsenisches Kirchen-
Recht Lipsia 1723. 4.* ubi autor materias ecclesiasticas, omisis principiis iuris canonici & antiquitatis ecclesiasticis solum ex principiis iuris divini & ordinationum ecclesiasticarum Saxoniarum, tam Electoralium, quam Ducalium, nec non opinionibus doctorum methodo arbitraria pertractauit, & potissimum ad usum Consistoriorum Saxoniorum accommodauit, nec non multa, quæ post Carpovium mutata sunt, supplevit emendauitque: quod opus praecipue in foro Saxonico versantibus valde conduxit.

(f) Prae omnibus autem eminet IVSTI HENNIGI BOEHMERI ICti Hallensis *Ius Ecclesiasticum Protestantium lena 4.* in quo autor singulas iuris ecclesiastici materias, iuxta ordinem decretalium ex ipsis principiis iuris canonici & ordinatio-

num

num ecclesiasticarum, nec non historiarum antiquitatumque sacrarum monumentis, accurate eruditamente explicat, & hodiernum iuris pontificii in terris protestantium usum solide ostendit, insertis variis responsis & sententiis iuridicis nec non observationibus practicis: quod opus omnibus in schola pariter a foro versantibus utilissimum est. Et quidem primum Volumen prodiit 1714. alterum 1717. tertium 1722. & quartum mox edendum maximi cum desiderii ardore anhelamus. Iungendum quoque est eiusdem *Ius parochiale*, quod iam tertia vice prodiit Hale 1721. in quo autor ius ecclesiasticum in hoc capite ad fundamenta genuina revocat, & a falsis principiis aliquis abusibus repurgat.

De aliis scriptoribus & quidem specialibus iuris canonici, qui plura scire desiderat, conferre potest celeberr. BVRCH. GOTHELE. STRVII Bibliothec. *jur. selectam*, quam doctissimus CHRISTIAN. GOTTLIEB BVDERVS longe auctiorem edidit, tot. c. 13.

§. XXXI.

Quod methodum iurisprudentiae ecclesiasticae attinet, illa varia est: alii enim ordine decretalium, alii ordine Institutio-
num Iustinianearum, alii methodo arbitra-
ria, quae etiam optima est, modo sit facilis &
bene cohærens, ius ecclesiasticum tracta-
runt.

Sicut in omnibus scientiis ad eorum accuratam cogni-
tionem acquirendam necessaria est certa methodus
tractandi, seu ratio, qua ad propositum finem, per
media legitima ordine commodo ducimus; ita ea-
dem quoque requiruntur in tractanda & addiscenda Ju-
risprudentia ecclesiastica. Qualem ordinem scri-
ptores iuris ecclesiastici §. praecedenti recensiti te-

34 PRÆNOTIONES IVRISPR. ECCLES.

nuerint, id ibidem dictum est. Interim non contemnenda est methodus eorum, qui ius ecclesiasticum tractant, ut præmissis iurisprudentiæ ecclesiastice generalibus, scil. de eius definitione, divisione & natura, origine, progressu & vsu iuris canonici, nec non eius obiecto scil. ecclesia, huiusque potestate & iure principis circa eam, illud in duas partes dividunt, nampe de iure personarum & rerum, ad easque omnia iuris ecclesiastici capita referunt, qualem methodum, utpote facilem & satis convenientem, felici successu elegit IO. SCHILTERVS in *institut. iur. canon.* Hoc de aliis scriptoribus, qui ius ecclesiasticum iuxta ordinem decretalium tractarunt, notandum est, quod sepe causas civiles immisceant; quæ licet sèpius in iure canonico iaprimis in decretalibus occurrant, minime tamen ad ius ecclesiasticum pertinent, sed potius ad tractionem iuris civilis referenda sunt, in quales cause etiam ex iure canonico, quatenus hoc vel cum iure civili conuenit, vel ab eo discrepat, explicari & decidi solent & debent. Vnde ex hac quoque ratione astimandus est SCHILTERVS, qui in *institut. iur. canon.* a causis civilibus in iure canonico occurrentibus in totum abstrahit, & saltē de causis ecclesiasticis agit; licet in eo quoque notandum sit, quod nonnullas causas ecclesiasticas necessarias omisferit, aliasque sèpius obscure & insufficierter tractat, quin in iis multa falsa principia & erroneas conclusiones admirerit, ut indicavi in *programmate de prerogativa iuris canon. præ iure iustinian.* §. 12. p. 23. Qua de causa omnino optandum esset, ut tale compendium iuris ecclesiastici, quod ex principiis hactenus recensit, adhibitis necessariis & suppediatis subsidiis, observatisque iis, quæ in aliis desiderantur, abstahendo a causis civilibus desumunt, & saltē ad statum ecclesiarum Protestantium accommodatum esset, concinnaretur, quale conscribere, à deo vitam & vires concedet, consti-
tuimus.

155 194

ULB Halle
006 357 13X

3



R



